R Whitaker

Dr Duncan Junr

SELECTA DIARII

NOSOCOMII REGII FRIDERICIANI HAFNIENSIS

TOMUS PRIMUS

ANNOS 1782. 1783. 1784. CCNTINENS

AUCTORE

FRIDERICO LUDOVICO BANG

NOSOCOMII HUJUS MEDICO PRIMARIO, MEDICINÆ DOCTORE ET PROFESSORE UNIVERSITATIS HAFNIENSIS

HAFNIÆ, MDCCLXXXIX

LITERIS SIMMELKIÆRIANIS

Lecturo!

Factorum circa ægrotos cognitio ſcientiæ medicæ verum fundamentum ſiſtit; qvod futurum ſit, qvodqve faciendum, noxium evitandum, & utile eligendum, haud alio modo, qvam e factis concludere licet, & oportet.

Verum ut factorum cognitioni reſpondeat ratiocinium inde deductum, per ſe intelligitur; errantibus præmiſſis, errat concluſio, & ut hæc juſta ſit, illarum reqviritur veritas.

Doctrinam ideo, qvalis medico opus eſt, factorum ſi fidam ſola exhibere poteſt exqviſita obſervatio, qvæ amplam & ſufficientem obſervandi occaſionem, attentam conſiderationem, veri utilisqve amorem, atqve exercitatum judicinm involvit; pauca enim videre infinitorum, ſit venia verbis, ſtudenti medico non ſufficit. & pluries videre ad convictionem opus habet erroris faci-

facilis capax, & ipse conscius homo. Multitudo est tanta & obscuritas rerum, quæ fuerunt, sunt, & fiunt in ægrotis, ut fugax minime, sedulus oculus difficillime satagat. Et verum velle ad genuinam obvenientium indolem & nexum cognoscendum requiritur; non modo negligentia, sed quoque præjudicia varia observantem confundere & a veritatis tramite abducere queunt; maxime theoria præoptata, & remedium præamatum faciunt, ut apparentia pro veris sumantur, imo scriptis divulgentur. Arduum demum ipsum observationis opus: phænomena ægrotorum rite explorare & detegere, morbosum a sano, essentialia ab accidentalibus, complicatum a simplici, situ utilia ab indifferentibus discernere, quæcunque debitis definire gradibus, & e justis eruere fontibus promptum & exquisitum judicium, crebro exercitio tantum acquirendum desiderat: Has cunctas, quæ observantem medicum, & observationum descriptorem decent, quasque modo rarus casus conjungere valet, dotes considerans, vix mirabitur, artem medicam, licet generi humano ad omne ævum utilissimam, licet opera dignissimam stabili tamen fundamento, observationibus puto fidis aptisque destitutam fuisse, & adhuc indigere.

Enim vero faustior incremento hujus scientiæ dies elucescit, postquam afflictis publicas ædes donaverint magnanimi principes; amplissimus per illas paratus est

eru-

eruditionis campus, & discipulis & magistris formandis æque inserviens; innumeros hic videre & rursus videre casus, observandis ægris assiduo & commode adesse, observata mox litteris mandare, tentamina instituere & horum effectum cognoscere certum; atque demum conditas morborum causas sectione cadaverum detegere; hisce, inquam, omnibus genuinis doctrinæ salutiferæ fontibus nosocomia præ privata praxi optatissimum aditum largiuntur. Nec defuerunt viri, qui fatigante labore non fatigati & tædiosi studii non pertæsi talibus subsidiis tam ad propriam instructionem, quam ad alios dein edocendos usi sunt. Horum exemplo monitus, eorumque profectibus compulsus memet ipsum obligatum sensi, ut, quæ nosocomii, quod curo, optime instituti occasio discenda, scituque digna obtulerat, publici juris facerem.

Unicum scopum, veram artis perfectionem semper aspiciens utilium modo delectum facere, illaque commodissima proponere methodo annisus sum. Non omnes, qui in nosocomio obvenerunt morbos descripsi; ægritudines leviores, per se etiam curabiles, quarumque cognitio & cura jamjam satis definitæ & divulgatæ erant, attingere superfluum & tædio plenum duxi opus; epidemios autem cunctas memoravi, & earum delineationem partim ex individualibus casibus abstractam exhibui, & partim exemplis ipsis ratione

 indolis,

indolis, gravitatis vel curationis singularem mentionem merentibus dilucidavi. Æqvo jure describendos habui sporadicos, vel chronicos morbos, qvi novi aliqvid aut certius medicinæ imprimis practicæ suppeditare mihi videbantur. Extispicia, hunc æthiologiæ pathologicæ primarium fontem, qvibus non modo curiositatis gratia prægressi morbi vera sedes, & origo in defunctis manifestantur, sed qvonam mediante auxilio etiam in viventium similibus casibus ad præsentis morbi naturam eruendam analogica conclusione adducimur, maximi feci, raroqve igitur sub data occasione, qvotiesqve morbi funesti indoles vitium sensibile pro causa suspectum reddidit, instituere omisi.

De apto scriptionis modo sollicitum esse scriptori itidem incumbit; multa, qvæ scopo utili non congrua, non necessaria perspiciuntur, dicere, magnaqve volumina, qvæ aut lucri amor, aut vana ambitio, ac si multa verba sapientem proderent, aut nexus rerum haud debite perspectus crearunt, me judice damnosissimam & disciplinis omnibus, & discipulis prolixitatem produxerunt. Perfectiorem credidi methodum, qvæ sciendi cupiditati facillime satisfacit, & instructioni tamen sufficit; difficilioris sane, sed longe utilioris negocii est, dicendorum copiam imprimis in re medica adeo amplam paucis exprimere, & ad essentiale contentum reducere, qvam facta, eorumqve circumstan-

tias

tias & minutias foeminarum more enarrare absqve discretione illorum, quæ tanqvam utilia proferre, vel ut aliena & inutilia silentio præterire oportet. Nihil tandem majoris, quam relatorum veritatem habui; observationes quandoqve, qvas ipse minus completas deprehendi, publicæ reprehensioni submittere malui, qvam defectus celare fictis additamentis.


Dimidium vero facti tantum habet medicus observator, ni simul historias in usum trahat & applicet; qvicqvid igitur descripti casus praxi medicæ utile & ad causas, signa, curationesqve morborum docendum, determinandum & confirmandum inserviens continebant, pensitavi, extraxi & tanqvam consectaria sub finem observati proposui, itaqve principia artis ipsius experientiæ testimonio superstruere studui.

Ut demum utilius s. usui aptius redderetur opus, indicem adjunxi alphabeticum, cujus ope contentæ materies, & omnes, & singulari proposito desideratæ mox sciri & in locis suis inveniri possunt; ratio autem, qvare contra morem solitum non paginæ sed annus, mensis & numerus indicantur, fuit applicatio hujus diarii nondum prælo subjecti ideoqve paginis non designati ad systema nostrum medico-practicum.

Medicamina præparata & composita, de qvibus observationes mentionem faciunt in pharmacopoea nosocomii Fridericiani descripta inveniuntur.

 En

En benevole Lector! & metam labori nostro propositam, & vias, qvibus ad illam properare conatus sum, qvalis fuerit, qvantusqve progressus! propria te doceat investigatio. Diarium ad primum annum pertinens, quod ingenue fateor, autorem in observando & dijudicando minus exercitatum prodit, verum etiam in reliqvis homo sum & nihil humanum a me alienum puto.



DESCRIPTIO

NOSOCOMII REGII FRIDERICIANI HAFNIENSIS.

Nosocomium hujus tituli anno millesimo, septingentesimo, qvinqvagesimo sexto fundatum est. Regium dicitur, & regium est opus, sive eminentem Fundatoris personam, sive scopum, compositionem, & sustentationem Instituti aspiciamus. Autor ipse fuit divus Daniæ Rex *Fridericus Qvintus*. Non proprium erat nomen, cui monumentum honoris magnus ille princeps erigere studuit; longe nobiliores sunt rationes, qvibus Fundatio hæc ortum debet. Regia erat clementia, misericordia, pronitas in miseros; Erat verus regis animus, nihilo magis qvam felicitate subditorum gaudens, qvi summam hominum calamitatem; morbos puto pauperum, scire neqvibat, qvin efficacissimo modo auxilium & leva-

men egentibus afferret; qvid! qvod! plus qvam amor erga ſubditos, erat enim erectiſſimus hominum ſenſus gratusqve erga deum, qvi animum regis ad ſacrificium ſummæ pietatis regi omnium regum offerendum commovit. Sicuti pii olim patres altaria in gratam memoriam beneficii ſingularis cujusdam divini poſuerunt, plenus ita ſenſu multorum erga ſemet ipſum & populum ſuum Dei benefactorum optimus patriæ pater condidit non mortuum, e lapidibus ſtructum altare, ſed benigniſſimum, ſed vivum gratitudinis monumentum; refugium nempe, ſolamen & auxilium perpetuum pro miſeris permultis, qvorum ſupplicans ſuffimentum, preces gratesqve indeſinenter celeſtem aſcendunt Benefactorem, largasqve deferunt remunerationes in domum illam regiam, qvæ pauperibus vagis domus adeo commodas, vexatisqve opem adeo beneficam largitur. Verba ipſius regis, qvæ præfamen ad leges hujus Fundationis pertinens exhibet, ſemper recolenda nobiliſſima, qvæ laudavi, rationes & ſcopos optime teſtantur; ſc: " Gratiſſime recordantes clementiſſimam curam & " defenſionem, qvam providentia divina nobis ipſis, " regnis atqve regionibus noſtris præſtitit, nec non " benedictionem multiplicem divinam, qva imperium noſtrum decennio jam completo floruit in " emolumenta & felicitatem ſubditorum noſtrorum;

" Sin-

" Singulari itidem benignitate, miſericordia, atqve
" clementiſſima pronitate erga omnes pauperes & ca-
" lamitate preſſos ducti animadvertimus, multos in
" metropoli noſtra dari homines utriusqve ſexus,
" pueros & adultos, prorſus inopes, a nemine ad-
" jutos, atqve ope, qvam alia hucusqve inſtituta
" pauperum refugia tam publica qvam privata por-
" rigunt, carentes; qviqve ideo ſub morbis acci-
" dentibus non modo laboris ad vitam ſuſtentandam
" neceſſarii incapaces redduntur, ſed etiam medela ad
" reſtitutionen poſſibilem reqviſita deſtituti ſunt.
" Hiſce pauperibus, auxilii inopibus, miſerisqve de-
" bitam curam, medelam, ſuſtentationem ſuppedi-
" tare clementiſſime conſultum duximus, donec
" ſanati ſint, & ut, qvi inter hos obeunt, rito
" modo ſepeliantur. Tales ob rationes in gloriam
" Dei & auxilium pauperum ægrotantium nobis pro-
" poſuimus, proprium exſtruere & componere vale-
" tudinarium, qvod noſocomium Fridericianum vo-
" catum volumus."

Regium qvoqve eſt, & dicitur hoc Inſtitutum non modo, qvia ſumptibus regis ædificatum & diſpoſitum eſt, ſed qvia iisdem fere ſolis ſuſtentatur. Paternam hanc Fundationem Clementiſſimus Rex Chriſtianus Septimus haud minus paterno animo tuetur. Tanta qvoqve cura miſerorum hoc refugium

am-

amplexus est magna regnorum Spes, amatissimus regni hæres Princeps Fridericus, ut sine hac restitutione non diu existeret.

Regio demum titulo nostrum nosocomium dignum reddunt perfecta illius institutio, legesqve ita stabilitæ, ut scopus benefactoris regii convenientissimo modo promoveatur. Venerandus senex olim reipublicæ tractandæ conciliarius Adamus Gotlob Comes de Moltke, primus nosocomii precator, per illustris Archiater Johannes Justus de Berger, nec non iam beati, celebres apud Danos Chirurgi, Vohlert, & Krüger, grates nunqvam obliviscendas, laudesqve merentur, ceu viri, qvi jubente rege ordinem, regulasqve hujus instituti statuerunt adeo sapientes, ut illas mutandi, vel perficiendi nulla hactenus data sit ratio, nec posteris forsan daretur.

Situs Nosocomii Fridericiani est in extrema parte urbis Hafniensis boream & orientem spectante, in spatio aliis ædificiis haud adeo circumdato, qvin liber aëris aditus undecunqve haberi possit.

Ædificia ad Nosocomium pertinentia sunt:

1. Membra s. projecturæ qvatuqr, duo orientem, & duo occidentem versus posita. Singula tabulatum duplex continent, illaqve latitudine gaudent, ut cubicula duplicem efficiant seriem. Occidentalium aliud constituit pharmacopolium nosocomio præpri-

mis,

mis, nec non civibus urbis hafnienſis inſerviens, alterum qvoad tabulatum inferius complectitur habitacula medici noſocomii, balneatoris, & qvæ ad balneationem pertinent; tabulatum ſuperius in minora diviſum eſt cubicula, qvorum nonnulla candidatis noſocomii medicinæ & chirurgiæ habitantur, alia ſeparata infirmaria ſ. ſingulis ægrotis accommodata efficiunt. Orientalium unum continet habitacula Inſpectoris noſocomii, medici obſtetricantis, atqve conclavia duo, conventui Directorum noſocomii deſtinata, alterum paſtori noſocomii hoſpitium præbet, apparatumqve ad lavationem noſocomii pertinentem complectitur, reliqva conclavia puerperis antea inſerviebant, cum vero jam nova domus obſtetricia extra noſocomium Fridericianum conſtructa ſit, illa in valetudinaria, partim ſeparata, partim communia diſpoſita ſunt. Horum aliqvot ita ſunt comparata, ut honoratioribus ægrotis conveniant.

2. Medium ædium, qvod intra & inter qvatuor allata membra continetur, principalem, & ut ita dicam, eſſentialem noſocomii partem efficit. Illius figura ſiſtit qvadratum, cujus duo latera longiora boream & auſtrum, & alia duo breviora orientem & occidentem ſpectant. Horum ultimorum ſingula qvoad mediam tertiam partem elatiora duplex tabulatum continent, in reliqvis depreſſa tabulato ſimpli-

ci

ci gaudentia. Latus occidentale culinam, habitacula oeconomi, chirurgi, antigrapharii complectitur. Latus orientale olim pro parte templum, impræsenti potissimum valetudinaria, operatorium chirurgicum includit. Latera longiora in simplex tabulatum structa sunt, e solis receptaculis ægrotantium composita, qvorum duplex est series longitudinaliter mediante pariete sibi annexa; ad finem eorum qvemlibet parva culina, & latrina adsunt, nec non ambulacrum, qvale etiam via transversa in media circiter parte receptacula ista intercedit. Horum laterum boreale interne ægrotantibus, & australe externis morbis laborantibus recipiendis inservit.

3. Areæ s. intervalla & spatia ad partes nosocomii pertinentia. a) Duæ aulæ sc. orientalis & occidentalis, versus plateas sepimento ferreo, ad latera membris, & a tergo medio ædium circum scriptæ. b) Areola cuivis membro ædificii propria. c) Area magna medio ædium inclusa, ubi plures arbores plantatæ sunt in gratas convalescentium ambulationes. d) Duæ areolæ aversæ ad latera longiora medii ædium, harum borealis maxima continet stabulum, receptacula pro lignis aridis, aliaqve materia, & aliqvot secessus. e) Hortus olitorius in usum ægrotantum & in vicinia nosocomii situs.

Re-

Receptacula ipſa ægrotum:

1. Diviſio eorundem: qvædam parva ſingulis perſonis accommodata; plurima communia ubi plures ægroti decumbunt, horum alia foeminis, alia viris deſtinata ſunt, ita tamen, ut in uſum cujusqve ſexus mutari qveant, prout major alterutrius numerus illud deſiderat; qvædam morbis contagioſis, ut febri putridæ, & dyſenteriæ propria ſunt, & pro neceſſitate talia redduntur. Huc referendum eſt balnearium, ubi adſunt ſpatium ſat magnum marmore incluſum pro balneatione plurium perſonarum, nec non vaſa & machinæ reqviſita ad balneum vaporis, ſtillatitium atqve infuſionis. Huc qvoqve receptaculum medicaminum ſc. in noſocomio maxime uſitatorum, præparatione non nimis artificioſa, aut coctione non indigentium, qvæqve diſtribuere candidatis noſocomii competit; nec non conclave electriſationi adaptatum.

2. Ambitus illorum, omnia eadem altitudine ſc. ulnarum ſex, nec non eadem latitudine ulnarum nempe undecim gaudent; qvoad longitudinem differunt, plurima ad ulnas viginti duas extenduntur, pauca duplum hujus menſuræ habent. Nonnulla modo haud adeo ſtricto conveniunt.

3. Conſtitutio & ordo eorundem cum rebus eò pertinentibus. Qvodlibet receptaculum certa littera ſim-

ſimplici vel duplici in janua ſcripta, deſignatum, tabulato gypſato & parietibus dealbatis præditum, continet ſpatiolum aſſeribus incluſum, pro uſu famulæ; æſtuarium unum, vel duplex laqvearis cum annexa valvula qvæ pro neceſſitate claudi & aperiri poteſt; qvatuor, vel qvinqve menſas ligneas, totqve ſellas, duas tresve latrinas portatiles, ſetulam pediluvio adaptatam, machinam motoriam, tria feneſtrarum paria duplicis altitudinis, laternam magnam vitream in medio receptaculi pendentem, fornacem ferream, batillum cupreum, ahenum cupreum cum foco ferreo; lebetem minorem ex orichalco paratum, vas alvo in lecto deponendæ accommodatum, tria minora vaſa ſputantibus commoda, hydriam, ollam infuſioni & potui theæ parandis apta, cantharum medicum, qvinqve patellas medicas, duo cochlearia medica, omnia e ſtanno confecta; præterea ad qvemqve lectum pertinentia adſunt matula, catilus, patera, cyathus, cochleare majus, etiam ſtannea, culter & fulcina bicornis. Adſunt etiam ſtatera, mediante qva pondus panis & carnis ab œconomo porrecti examinare ægrotis licet; nec non urinaria partim vitrea, partim cuprea, culcita, coronamenta ægris, ſi opus ſit, ſubſternenda e pilis criſpis pelle involutis formata, Thermometrum pro caloris gradu determinando, ciſtula, in qva famula res ſibi commiſſas ſervat. Januis affixæ ſunt ſchedulæ;

typis

typis exſcriptæ, & qvæ nutritum ex œconomo porrigendum monſtrant, & qvæ regulas morum tam famulis qvam ægrotis incumbentes coram oculos ſiſtunt. Qvodlibet receptaculum unam miniſtrantem famulam habet; receptacula allatis duplo majora inventarium duplex & duas famulas habent.

Lecti ægrotorum: capacitas illorum uni perſonæ qvadrat; numerus in mediocri conclavi octo, vel decem complectitur, in majoribus duplo major eſt. Situs illorum talis, ut uno fine parietem, altero medium cubiculi attingat, qvo modo liber eſt aditus ad utrumqve lecti latus. In ſingulis receptaculis duplex adeſt ſeries lectorum, qvarum intermedia diſtantia tres ulnas continet; intervalla autem lectorum lateralia duas ulnas habent. Apparatum cujusve lecti conſtituunt ſaccus ſtramineus infime poſitus, culcita aut plumea aut e pilis criſpis facta, cervicalia duo, toralia duo alba lintea, inſtratum plumeum, vel laneum; etiam alia ſtragula ad manum ſunt, ægrotis pro neceſſitate ſubſternenda. Omnes lecti velis pro lubitu ſeducendis circumdati ſunt. Cuilibet lecto affixa ſunt, numerus certus deſignans, tabula nigra, ubi diæta ægroti notatur, nec non ſchedula nomen & ſtatum ægroti monſtrans.

Veſtitus ægrotis a noſocomio ſuppeditatus: femoralia, tibialia, tunicæ, lintea ſc. pro æſtivo &

lanea pro hyemali tempore; amicula cubicularia e panno viridi parata, nec non indusia, collaria, calanticæ, muccinia, mantilia, mappæ; linamenta octiduo qvovis mutantur & renovantur. Ægroti in nosocomio admissi hisce vestimentis mox induuntur; propria autem emundantur, & collecta, certoqve signo distincta servantur, donec ægroti nosocomium relinqvant.

Numerus ægrotorum in nosocomio solitò præsentium ducentas septuaginta vel octoginta personas complectitur. Horum centum septuaginta sumtibus regis curantur, qvæ gratia donata & destinata est incolis egentibus civitatis Hafniensis omnis religionis, nec non aliis pauperibus, qvi negotii cujusdam ergo Hafniæ morantes morbis corripiuntur. Integro anno sexcenti vel septingenti pauperes cura nosocomii fruuntur; Triginta milites in nosocomio suscipere permissum est, non alia facta pensitatione, qvam mercede solita militari, cujus tamen dimidia pars ægrotorum, qvi nupti sunt, uxoribus redditur. Triginta qvi novem marcas per hebdomades solvunt, locus est, qvod beneficium modo incolis Hafniensibus competit. Cultum optimum, in receptaculis communibus octodecim marcis, & in separatis viginti una constantem solventes ad incertum numerum, & qvotqvot illud desiderant, admittuntur.

Alum-

Alumni exercitus terreſtris valetudinarium, certo annuo ſtipendio ſolutum, ſibi proprium in hoc noſocomio habent. Vir qvidam generoſus tres ægrotos in noſocomio ſuſtentat, certamqve pecuniæ vim ad hoc beneficium continuandum legavit. Alia ſocietas Hafnienſis, Harmonica dicta, duobus ægris curandis ſumtus expedit.

Annuntiatio ægrotorum. Sine hac præmiſſa nemo in noſocomio ſuſcipitur; illa proponitur apud Inſpectorem noſocomii, indicans petentis ægroti nomen, ætatem, ſtatum, domum, nec non modum, qvo in noſocomio admitti cupit ſ. locum, qvem petit, ſolventis, vel pauperis. Petenti Inſpector tradit ſchedulam typis exſcriptam, qvæ nomen, & ſtatum ægroti exhibet cum annexo, vel prædicato paupertatis, qvam ſubſcriptione dictæ ſchedulæ herus, & præfectus tribus atteſtari debent, vel ſolvendo pretio, qvalem ſchedulam vir opulentus ſponſoris nomine ſubſcribit; Schedula ſic abſoluta redditur Inſpectori, qvi minorem ſchedulam, inſcriptionis dicendam, litteris ſcriptam, omnesqve allatas ægri conditiones, atqve exactum annuntiationis tempus memorantem tradit Antigraphario noſocomii, qvi dein curam habet de exploratione, & admiſſione ægroti, vel ſtatim facienda, vel illo temporis ordine, qvo æger annuntiatus eſt.

 Explo-

Exploratio ægrotorum, anteqvam in nosocomio admittantur. Qvoad indolem morbi excluduntur, venerei, mere scabiosi variolosi, maniaci, epileptici, absolute letales, & incurabiles. Ut certum reddatur, annuntiatos ægros nullo dictorum morborum laborare, imperata & opus est præmittenda exploratio, qvæ statim post annunciationem instituitur qvoad ægrôtos, qvi optimam curam nosocomii solvunt, verum qvoad reliqvos certo numero limitatos qvandoqve uno alterove die cunctandum est, donec locus reddatur vacuus. Explorantes ordinarii sunt medicinæ, vel chirurgiæ candidati, prout morbus sub annuntiatione internus aut externus indicatus fuerit. Hi ducente schedula inscriptionis domus ægrotorum qværunt, eorumqve statum disqvirunt, & admittendum, vel excludendum cognoscunt; in posteriori casu prohibita susceptio ægrotis mox indicatur; in priori autem schedula inscriptionis Antigraphario redditur, qvi statim ægrotum ad nosocomium adduci curat; ægrotis etiam, si valeant, explorationis ergo nosocomium petere permissum est. Si explorantes Candidati in dijudicando ægrotorum statu dubii hæreant, medicus primarius sibi ipsi explorationem suscipit.

Adductio ægrotorum ad nosocomium absolutis, qvæ memoravimus, annuntiatione & exploratione

mox

mox efficitur; attamen ſine hisce præmiſſis notabili læſione per violentiam externam afflicti mox arceſſuntur & admittuntur. Meatus ad noſocomium vel ab ipſis ægrotis, ſi lubeat, curatur, vel mediante lectica noſocomii, cui portandæ certi geſtatores in noſocomio adſunt. Admiſſo ita ægroto receptaculum & lectum convenientem antigrapharius oſtendit.

Victus ægrotorum in noſocomio ab ejusdem oeconomo porrigitur juxta certam imperatam regulam, victus hic duplex eſt ſc. minor illis, qvi aut ſumtibus regis curantur, aut modo novem marcas per hebdomades ſolvunt; major ſ. melior illis, qvi octodecim vel viginti unam marcas ſingulis hebdomadibus dependunt. Regula victus minoris ſeqvens eſt: Mane hora ſeptima, & poſtmeridiem hora tertia aqva calida pro conficiendo infuſo thee vel alio; Hora undecima antemeridiem prandium conſtans pro ſingulis ex juſculo carneo ad libram & dimidiam cum admixtis granis contuſis cerealibus varii generis & oluſculo, carnis bovinæ vel agninæ bene coctæ unciis qvatuor, panis ſecalini e farina cribrata parati vel ſimilaginei libra dimidia, & cereviſiæ libra. Hora ſexta veſpertina cœna, continens qvatuor ſeptimanæ veſperis pultem e granis frumenti contuſis cum aqva paratam, aliis tribus decoctum avenæ vel ex aliis granis cerealibus confectum, præterea omni veſpera

dimidiam libram panis ſupra memorati cum uncia dimidia butyri, & libram cereviſiæ; Decoctum avenæ & juſculum carneum omni tempore a culina poſtulari & arceſſi poſſunt; & ſi medicus jubeat, ægrotis etiam lac, decoctum ceraſorum, ova porrigere œconomo incumbit. Regula victus melioris: Pro prandio circa horam primam poſtmeridiem: Die dominica juſculum carneum cum paſtillis carneis, caro toſta, bovina, vitulina, vel agnina, placenta. Die lunæ juſculum carneum cum incoctis granis rotundi frumenti contuſi, & frixum e carne, vitulina vel agnina. Die martis juſculum cum pane fricto, & piſcis aſſatus vel coctis. Die mercurii juſculum cum oryza, & caro cocta cum oleribus mollibus. Die jovis juſculum cum paſtillis farinaceis, & caro carbonibus toſta. Die veneris juſculum cum oleribus coctum vel pane fricto & caro bovina cocta cum liqvamine e raphano ruſticano. Die ſaturni puls tenuis ex oryza cum lacte parata, & piſcis aut caro toſta. Pro cœna hora ſeptima veſpertina ſumenda: aut puls bis per hebdomadem, aut decoctum avenæ cum pane fricto & paſſis bis ſeptimana, alias decoctum ceraſorum, vel cum oryza & vino paratum; panis præterea ſufficiens qvantitas, cui veſpera butyrum additur, & cereviſia. Omni mane panis biscoctus & lactis libra pro jentaculo porriguntur, ſingulisqve ſepti-

manis

manis uncia thee congo dictæ, & sachari albi libra dimidia. Loco allati victus, a medicis præscribi possunt jusculum e carne vitulina paratum, decoctum cerasorum, pultes, olera omnis generis, ova, poma, & pruni cocta. Sub diæta intelligitur ordinata a medico abstinentia a carne, butyro & lacte.

Curatio ægrotorum medica, & chirurgica. Medicantes duplice vice qvotidie officium administrant: mane hora septima vel hyeme octava, & vesperi hora qvinta; qvilibet admissus æger a medico primario exactissime qvoad indolem morbi exploratur, morbiqve historia chartæ cuiqve ægro propriæ mandatur. Visitatione matutina singuli ægroti e novo explorantur, mutatio morbi observatur, & dictante medico primario a candidatis s. studiosis medicinæ assistentibus litteris conscribitur in nexum cum historia prima. Auxilia diætetica & remedia simul annotantur; famulæ ægrotorum compræsenti, qvomodo singuli curandi sunt, præscribitur, qvæqve & qvali ratione adhibenda sunt medicamenta; horum formulæ famulis traduntur, qvæ juxta illas medicamina a pharmacopœa, vel receptaculo nosocomii illis conservandis destinato accipiunt, & ægrotis propinant; victus ægrotis conveniens in tabula nigra lectis affixa notatur pro indicio & famulis & œconomo. Visitatione pomeridiana medicantes iterum explorant, &

obſervant ægros, qvibus hac repetitione opus eſt; famulasqve, num aliqvid novi circa reliqvos ægrotos acciderit, disqvirunt. Præter has viſitationes ordinarias qvocunqve alio tempore reqviſitam opem ægrotis afferre medicantibus incumbit.

Exitus curatorum e noſocomio ad duas hebdomadis dies ſc. mercurii, & ſaturni determinatus eſt. Dies prægreſſæ ſc. martis, & veneris exſcriptioni dicatæ ſunt; tunc nimirum medicantes curatis indicant, qvod inſeqventi die noſocomium relinqvere poſſint, & debeant, illudqve notum reddunt antigraphario, ut hic mox curam ageret de exploratione aliorum ægrotorum, qvi loca egreſſorum petierunt; & qvorum ſuſceptio hoc modo qvam citiſſime promovetur. Die martis medici directores in noſocomio adſunt, & egreſſuros diſqvirunt, num revera ſanati ſint, & num cura qvoad omnia puncta debita & imperata tractati fuerint.

Defuncti curante Inſpectore communiter e noſocomio ad humationem efferuntur, & qvidem pauperes ſumtibus ipſius inſtituti & ſine ceremoniis, ſolventium ſepultura ſumtu propinqvorum vel ſponſoris facienda eſt, & pro horum lubitu cum vel ſine ceremoniis funeralibus; ſi defuncti morbus haud contagioſus fuerit, illum ad domum urbis tranſportare, indeqve ſepulturam curare licitum eſt. Sectio cada-

verum

verum in nosocomio demortuorum, si hanc tanqvam utilem instituere medicis placeat; etiam permissa est.

Directores nosocomii sunt: Præsul civitatis Hafniensis, Præfectus militaris urbis; Archiatri; Professor medicinæ universitatis Hafniensis; Director generalis chirurgiæ; Chirurgus aulicus. Commissus ærarii, Duo senatores urbis.

Commune Directorum munus est: 1. Reditibus nosocomii & capitis conservationi invigilare. 2. De ædium & inventarii integritate & reparatione curam agere. 3. Usum Instituti, scopo ejusdem, positisqve legibus convenientem custodire. Ad hos fines promovendos initio omnis mensis Directores in nosocomio conveniunt, statum ejusdem mediante Inspectore explorant, & de illo consilia conferunt. Si qvid alio, tempore deliberationem illorum reqvirens acciderit hoc per litteras Inspector illis notum reddit; singuli tunc æstimationem suam scriptam proponit; e plurimorum sententiis Inspector valens deducit & conficit decretum, qvod iterum novæ eorum probationi submittitur eademqve confirmatur.

Directoribus medicis & chirurgicis præter allata privatim incumbunt alia officia sc. 1. singulis hebdomadibus die martis adesse in nosocomio, egressuros supra dicto modo qværere, receptacula omnia noso-

comii invisere, & num rita fiat tractatio, explorare, nec non consilia, si opus sit, cum medicantibus nosocomii ordinariis de ægrotis conferre. 2. Dispungere rationes medicaminum a pharmacopœa in usum nosocomii traditorum, & num hæc formulis medicorum nosocomii, atqve præstitutæ taxæ conveniant, disqvirere

Ministri nosocomii sunt: Inspector; Antigrapharius, Oeconomus, Sacerdos, Medicus primus, medicus assistens, tres candidati s. studiosi medicinæ; Chirurgus primus, chirurgus assistens, tres chirurgiæ candidati; Balneator, Hospitiorum inqvisitor, Nuntius, Vigil, duo Janitores; famulæ.

Inspectoris est: 1. Annuntiationem ægrotorum, qvæ nosocomium petunt, accipere & huc attinentia testimonia, & satisdata procurare, atqve demortuorum sepulturam efficere, hujusqve rei ordinem literis perscribere. 2. Reditus & expensa nosocomii rationibus referre. 3. Acta in consessu Directorum consignare, & literarum commercium absolvere. 4. Ædes & inventarium omnis generis tueri, atqve illorum debitæ reparationi præesse. 5. Reliqvos ministros attendere, ut qvisqve partes officii sui rite obeat.

Antigrapharii munus est: 1. Ægrotorum admissionem & apportationem debito & supra dicto ordine

ordine & modo expedire; illosqve qvoad tempus aditus & abitus ad acta referre. 2. Res proprias ægrotorum, qvas ad nosocomium secum ducunt, accipere, illarum custodiam mediante œconomo, & redditionem discedentibus ægrotis procurare. 3. Qvavis hebdomade in usum directorum componere tabulam numerum exhibentem ægrotorum, qvi admissi, egressi, demortui, præsentesqve sunt, qvotqve eorum sunt pauperes, solventes, qvot sub medico, & qvot sub chirurgo decumbunt, qvotqve annunciati, & ob loci defectum haud admissi sunt. 3. Rationes omnes Inspectoris & œconomi dispungere & attestari.

Oeconomus nosocomii pro certo, qvod juxta singulos ægrotos & dies computatum solvitur, pretio victum secundum regulam supra memoratam, calefactionem, candelas, lavationem suppeditat: omnia vestimenta, lintea, & reliqva ad receptacula ægrotorum pertinentia illius custodiæ & inspectioni tradita sunt. Ejus itidem est, expurgationem in areis nosocomii efficere, nec non apportationem ægrotorum mediantibus lecticis & gestatoribus nosocomii.

Sacerdos in nosocomio adest, ut in spiritualibus ægrotis assistat, & sacram cænam administret.

Me-

Medici officii eſt: 1. ad duas vices qvotidie horis ſc. ſupra definitis, & ſæpius, ſi opus ſit, ægrotos noſocomii viſitare, illisqve convenientem diætam & medicaminum uſum præſcribere. 2. Hiſtorias morborum qvoad ſingulos ægrotos, horum ſtatum & ante adventum ſollicite qværendo, & in noſocomio obſervando componere, & literis mandare. 3. Annunciatos ægros explorare, qvoties candidati medicinæ eorum ſtatum dijudicare non valent. 4. Sectionibus qvæ in demortuis inſtituuntur, adeſſe, easdemqve deſcribere. 5. Studioſis medicinæ, ut viſitationi ægrotorum adſint, veniam dare, illosqve praxin clinicam edocere non modo proprio actu, ſed qvoqve exercendo illos in tractatione ad ægros pertinente.

Candidati ſ. ſtudioſi medicinæ noſocomio ſervientes debent 1. adeſſe medico primò ægrotos viſitanti, literisqve conſignare, omne qvod hic obſervat, dictat, & præſcribit. 2. annunciatos ægrotos ante admiſſionem explorare. 3. medicamenta diſtribuere e receptaculo noſocomii illis conſervandis deſtinato. 4. relationem contractam conſcribere de morbis eorum, qvi ſingulis hebdomadibus noſocomium adeunt relinqvunt, & in eo moriuntur, directoribus medicis die martis tradendam. Præſentis medici aſſiſtentis

haud

haud aliud eſt munus, qvam ægrotorum curam ſub morbo ipſius medici primi agere.

Chirurgus primus, & candidati chirurgiæ iisdem officii partibus qvoad ægros externis morbis laborantes, obſtricti ſunt. Chirurgi aſſiſtentis eſt, annunciatos ægros explorare.

Balneator illam, qvam medicus vel chirurgus ægrotis præſcribit, balneationem abſolvit, cucurbitas & hirudines applicat, & ſemel hebdomade ægrotos tondet.

Famulæ ægrorum, qvibus certum per hebdomades ſtipendium datur, eliguntur potiſſimum viduæ, conditionis civilis, modeſtæ, ſobriæ, mediæ ætatis. Qvamlibet circiter octo ægrotis inſervire opportet. Illarum eſt: ægris præſcripta medicamina porrigere, ſtatum eorundem medicis tempore, qvo hi abſunt, obſervatum referre, alimenta, & potus ægrotis adferre, eosdemqve veſtire, & lectos ſternere; & in cunctis reliqvis, qvæ occaſio deſiderat, ægris aſſiſtere, & imprimis de munditie & puritate aëris curam habere. Huc pertinent feminæ excubantes, qvæ nocturno tempore vices famularum ſubeunt.

Janitores ad portas noſocomii poſitos opportet attendere & excludere perſonas ſuſpectas, ſimulqve cavere, ne victus ægrotis ex urbe adferatur. Hoſpitiorum

ſpitiorum inqviſitor, & nuncius ſerviunt ad pecunias, qvas ſolventes ægroti noſocomio debent, exigendas; ad explorandum & confirmandum teſtimonia ægrorum, qvi paupertatis nomine in noſocomio admiſſi ſunt, atqve ad mandatis aliis, noſocomium attinentibus fungendum.



INDEX

INDEX CONTENTORUM

UTRIUSQVE TOMI.

Car-

De-

Ter-

Qvar-

Qvartana inveterata per ſcabiem ſoluta, 84. Jul. 2. alia cum infarctu hepatis ſimili ratione juvata, 86. Jul. 2.
Qvotidianæ ſalinis & evacuantibus facili cedentes tertianæ cortice magis indigentes 85. Mart. 3. & April. 2.
Qvotidiana per tumorem parotidum finita 85. April. 2, per ſudorem continuum ſpontaneum, 87. Maj. 2. tertiana inveterata omni medicinæ reſiſtens tandem per abſceſſum ingvinalem ſoluta, 84. Auguſt. 2.
Cortici peruviano reſiſtens febris poſt repetitam emeſin illius vi cedit, 83. Auguſt. 2. & Octobr. 2. & 84. Mart. 3.
Succo recenti taraxaci ſanata inveterata febris 82. Januar. 2.
per ſuccum citri aliis fruſtra adhibitis juvata, 84. Jan. 2. — cum ſcorbuto juncta febris corticis vi ſuperior, addito ſucco citri juvata 86. Jul. 2.
Per pulverem febrifugum de Freſcarode pertinax juvata febris, 87. Mart. 2. & April. 2. & Maj, 2.
Febri adjunctus hydrops ob defectum ſudoris ſub paroxyſmis, qvo per pulverem camphoratum æſtus ſtadio ingeſtum promoto uterqve tollitur morbus 87. April. 2.
Letalis. Qvotidiana per metaſtaſin ad pectus, 85. April. 2. ſimilis duplex ex & cum ſuppuratione uteri, 87. Maj. 8. in inflammatoriam mutata cum generato pure absqve phlogoſi locali, 87. Auguſt. 7. — pluries per diem recurrens periodica febris e celata ſuppuratione demum letali, 86. Jul. 12.
Reliqviæ & effectus conſecutivi
Dolor artuum ſucco herbarum recenti juvatus, 84. Mart. 3. ſimilis per ſuccum citri ſanatus, 84. April. 2.

Dorſi

Genu

Jan.


cum

Mortis

culis



JA-



JANUARIUS, 1782.

1. Febres putridæ nec adeo numerosæ nec malignæ, e 34 ægrotis tres moriebantur, duo 13tio morbi die apoplexia funesta tacti, tertius cum signis inflammationis intestinalis.

Pleuritides nonnullæ curatu faciles.

2. Intermittenti febre trimestri per corticem peruvianum sanata restitit frigus continuum dorsi sine alio symptomate febrili, qvod vesicatorio ibidem applicito diu suppurante tollebatur. Alter tota hyerne mox tertiana mox quotidiana afflictus nec cortice licet copiosissime ingesto sanabilis verno tempore per succum herbarum recentium sanabatur.

3. Inflammationem veſicæ urinariæ, qvæ aliàs raro occurrit, mihi contigit videre in juvene 18 ann. regio hypogaſtrica dolens, tumensqve figuram veſicæ repletæ habuit, urinæ fluxus prorſus impeditus erat, pulſus durus; ſeptem diebus duravit morbus intereaqve venæſectione ſeptupla, emulſionibus camphoratis, clysmate emolliente, catheterismo tractatus fuit, octavo die ſponte ſed guttatim effluxit urina, nono die melius & decimo naturaliter, qvo ſanum ſe ſentiit æger.

SECTIONES:

4. Tumor aſciticus biennii ſpatio in fœmina jam 31 annorum ad notabilem magnitudinem increverat & ultimo tempore ſibi junctum habuit tumorem oedematoſum crurum & femorum; in noſocomio qvatuor menſibus commorata fuit, intereaqve variis diuretius incaſſum uſa nec non paracenteſi ter inſtituta, qva multum educebatur ſerum, ultimis vitæ diebus febre & inſigni diſpnoea vexata fuit. Cadaveris ventre inciſo magna ſeri ſangvinolenti copia effluxit; omnia inteſtina tenuia äere valde expenſa erant; glandulæ meſenterii & pancreas admodum indurata, ambo ovaria figura veſicæ inflatæ & magnitudine capitis humani circiter prædita

dita ſub inciſione ſerum limpidum effundebant; membrana vero continens erat admodum tenuis peritoneo ſimilis.

5. Febre puerperali tertio poſt partum die corripiebatur fœmina 29 annorum; dolebat abdomen cum expanſione notabili, alvus initio erat laxa dein ſicca, lochia largiter fluxerunt, ſexto morbi die exſpiravit ægrota. E cavitate aperti abdominis largum effluxit ſerum & cum illo duo ſat magna fruſta puris condenſati, peritoneum erat cruſta purulenta obductum; omentum parvum ſphaceloſum, ejusqve pars inferior ſuppuratione conſumta; inteſtina tenuia paſſim inflammata, uterus etiam qvoad ſuperficiem anteriorem inflammatus.

6. Vir 48 annorum mœrore diuturno ob infidam uxorem afflictus aliqvot menſibus dolore hypochondrii ſiniſtri cum intolerantia ingeſtorum laboraverat, intereaqve valde emaciatus erat. Hic morbus in noſocomio adhuc tres menſes implevit qvotidie pejor redditus cum dolore totius abdominis, vomitu omnium ingeſtorum, haud tamen ſtatim poſt aſſumtionem, eructatione freqventi acida, alvo obſtipata, ſummaqve demum funeſta debilitate. Demortui abdomine diſſecto apparuerunt omnia inteſtina tam tenuia qvam craſſa admodum coarctata imprimis colon transverſum, cujus

interna capacitas vix diametrum calami ſcriptorii ſuperabat, ventriculus valde expanſus, ejusqve extremitas dextra verſus pylorum craſſas admodum tunicas habuit, pylorus ipſe erat inſignis magnitudinis atqve naturæ cartilaginoſæ, unde contentorum deſcenſus fere prorſus impediebatur, glandulæ meſentericæ, pancreas, lien indurata.

7. Juvenis 25 annorum phthiſi pulmonali afflictus tribus ante mortem hebdomadibus ſingulari laborabat rigiditate dorſi & colli, ita ut corpus antrorſum flectere neqviverit. Demortui pectore perluſtrato pulmo dexter ubiqve & firmiter coſtis accretus erat, in cavitate thoracis ſiniſtra ſerum largum, & pulmo hujus lateris in poſtica parte inflammatus & multis tuberculis ſcirroſis obſitus inveniebatur.

8. Alter juvenis 21 annorum a febre rheumatica fere ſanatus ſc. absqve ullis remediis retropellentibus ſubito corripiebatur dolore abdominis totius cum pulſu celeri tenſo, diarrhœa, cephalalgia; venæ ſectiones, camphorata, mucilaginoſa ne minime qvidem morbum minuebant; decimo morbi die ſpina dorſi rigida cum impotentia corpus antrorſum flectendi reddebatur; undecimo die moriebatur æger. Cranio aperto in ventriculo laterali dextro paucum, in baſi cranii multum ſerum invenimus, cujus copia no-

notabilis etiam in cavitate pectoris aderat; ambo pulmones in postica parte inflammati erant, in cavitate abdominis etiam largum serum extravasatum, intestinum ileum in parva portione inflammatum, hepar in superficie tam convexa qvam concava lividum & pancreas induratum detegimus. Nullus dubitet, qvin materia antea artubus inhærens sponte sua, nam repellente medela nunqvam in tali casu utor, interiores corporis partes occupaverit, ibidemqve tam extravasando, qvam inflammando letales effectus produxerit, unde vero singularis dorsi rigiditas mihi sane rarum imo novum symptoma in hisce ambobus ægrotis derivandum est? Utrum in utroqve ab eadem causa sc. inflammatorio tumore posticæ pulmonum partis, qvo forsan nervi dorsales comprimi aut irritari possent?

FEBRUARIUS.

1. Febres putridæ hoc mense grassantes insignis erant gradus, in nonnullis molesta pectoris affectio punctoria v. opprimens simul adfuit qvandoqve mox ab initio morbi qvandoqve sub progressu ejusdem accedens, in

qvibusdam expectoratio puriformis crisin constituit, apud alios devicto morbo successit scorbutus; qvendam memoria dignum puto, in qvo enormis dyspnœa tamen absqve dolore pectoris cum lingva siccissima & pulsu irregulari me dubium ratione eligendæ medelæ reddidit, præmissa vero evacuatione per emeticum soli mixturæ acido-camphoratæ omni hora exhibitæ confidi & voto potitus fui. E 36 ægrotis qvinqve moriebantur, tres sub expectoratione impedita suffocati, qvartus apoplexiam ante febrem putridam passus, illa redeunte, exstingvebatur, empyema metastaticum necavit qvintum, cujus historia inter dissectos memoranda venit.

2. Tusses multæ qvandoqve cum febre sine dolore pectoris, qvandoqve utroqve symptomate stipatæ, interdum neutrum adfuit, qvatenus etiam mox antiphlogisticam medelam & venæ sectionem desiderabant, mox nihil præter convenientem diætam; diutius protractæ phthiseos suspicionem habentes optime jusculo secalino sanabantur.

3. Astma sex hebdomadum, cui demum junctus fuit tumor œdematosus crurum, apud virum 46 annorum multis remediis incassum tentatis sponte demum evanuit sub proveniente efflorescentia pustulosa rubra faciei, qvæ per viginti annos sanitatis inseparabilis fuerat comes, & jam per aliqvod tempus abfuerat.

4.

4. A doloribus arthriticis inveteratis qvidam folutione aqvofa gummi gvajaci tribus hebdomadibus adhibita liberatur; pluries vero nullam efficaciam hujus remedii comperi.

5. Poft peripneumoniam initio neglectam fœmina qvædam expectoravit pus valde fœtidum variis adhibitis remediis haud corrigendum; porrectis ideo olei asphalti guttis octo mane & vefpera fœtor fputi paucis diebus evanuit, tuffis fenfim decrevit & ægra prorfus reftituta fuit.

SECTIONES:

6. Dolore hypochondrii dextri præfertim verò lumbaris regionis, qvi antea per intervalla afflixerat, graviter demum & conftanter corripitur fœmina 42 annorum cum intercurrente vomitu & fingultu; venæ fectio initio morbi qvinqvies adhibita, camphorata, clysmata dolorem qvidem levabant, non tollebant, urina fimul reddebatur purulenta demum fœtida, aqva calcis & decoctum corticis peruviani nullam morbi mutationem produxerunt; ultimis vitæ diebus diftinctam fluctuationem in latere finiftro fentiit ægrota, & poft decem circiter hebdomadas confumta exfpiravit. Venter demortuæ apertus aliqvalem feri clari copiam

continebat, glandulæ meſeraicæ paſſim induratæ, pancreas valde durum, ſubſtantia hepatis inciſa parvis tuberculis obſita fuit; ren dexter; dum leviter antrorſum movebatur, per exiguum foramen pus effundebat, extrinſecus atrum habuit colorem, intus excavatus pure omnino repletus.

7. Vir 37 annorum ſemeſtri ſpatio febre intermittente mox tertiana mox qvartana afflictus demum cum tumore œdematoſo crurum & colore faciei cachectico poſt uſum pulveris ſalino-digeſtivi e cremore tartari ſale amoniaco & radice rhei tribus ſeptimanis continuatum a febre liberabatur, ſuccedente autem tuſſi moleſta ſicca & increſcente tumore crurum; nunc pillulas reſolventes e gummi ammoniaco, extracto cicutæ, floribus ſulphuris & herme minerali confectas propinavi; harum vi tumor crurum notabiliter decrevit, ejus locum vero ſubiit gravis dolor pectoris ſiniſtri, qvi cito fugabatur per venæ ſectionem & veſicatoria crurum, unde tumor eorundem revocatus fuit; tuſſis autem pergebat, & jungebatur dolor hypochondrii dextri, ſub cujus preſſione etiam doluit pectus & ſuſcitata fuit tuſſis; nonnulla adhuc tentabantur reſolventia absqve levamine ægroti, qvi poſt decem hebdomades ab introitu in noſocomium exſpiravit. In cavitate abdominis defuncti nullum viſcerum dete-


gi-

gimus vitium; in cavitate verò pectoris dextri larga aderat copia fluidi cinerei feroso-purulenti; pulmo dexter infignis voluminis & folito durior continebat tubercula multa fub incifione pus fundentia, pericardium copiofum ferum inclufit cor magnum fangvine grumofo plenum, pulmo finifter parvus compreffus.

Non prorfus conftat, utrum febris læfionem pulmonis in ægro noftro præfentem metaftatico modo generavit, an potius fuppuratio pulmonum Purisqve in fangvinis maffam abforptio febrem produxerit? Neqve hoc unicum fuit dubium in dijudicatione hujus cafus, profiteor enim, me ante mortem magis fufpectum habuiffe vitium hepatis qvam pulmonis, utpote illud freqventius qvam hoc intermittentibus febribus annectitur; licet autem diagnofis fimilium cafuum incerta fit, error tamen in medendo haud adeo difficulter evitatur ab artis perito, qvi remedia utriqve poffibili & fufpecto morbo convenientia eligere novit.

8. E febre putrida trium hebdomadum vir 35 annorum ad afpectum convalefcens fubito tuffi afficiebatur molefta initio ficca, dein cum fputo purulento, opportunis licet huic febris ftatui porrectis auxiliis perdurabat tamen tuffis, decrefcebant vires, jungebatur dyfpnœa fenfim major cum diure fi mox im-

pedita, mox libera, alvoqve naturali; demum poſt menſis ſpatium ab initio hujus metataſtaſeos moriebatur æger. Secto cadaveris ventre ſangvinolentum ſerum effluxit; lobus hepatis dexter tam qvoad ſuperficiem convexam qvam concavam lividi coloris erat, ejusqve ſubſtantia debito friabilior; inteſtinum colon pro parte nigreſcebat; in utraqve cavitate pectoris imprimis dextra largum ſerum ſangvinolentum aderat; ambo pulmones in parte poſtica inflammati; liqvor pericardii copioſus. Non raro obſervavi & antea indicavi, materiem morbificam in febribus putridis ſcorbuticæ eſſe indolis, qvæ in uno alterove membro externo depoſita tumorem cum maculis lividis ſcorbuticis produxit; probabile eſt materiam metaſtaticam in noſtro ægroto ejusdem fuiſſe naturæ, qvæ vero ad viſcera nobilia conjecta læſiones illorum funeſtas generavit.



MARTIUS.

1. Febres putridæ complebant numerum 41, qvorum qvatuor moriebantur, qvidam maculis petechialibus obſitus, hæmorragia narium freqventi laborans & ſine dubio ſimili extra-

va-

vaſatione ſangvinis in encephalo necatus, alter mox poſt introitum ob tuſſis vehementiam ſuffocatus, tertia vetula circiter ſeptuagenaria nullam medicinam admittens, qvartus ob metaſtaſin ad pectus, cujus hiſtoria inter ſectiones deſcribenda venit. In multis ſub progreſſu morbi expectoratio puriformis ſalutaris fuit, raro ab initio pectus afficiebatur & tunc per emeticum levabatur; qvidam ſub tali ſtatu critico in noſocomium adductus fere ſuffocatus videbatur cum deglutitione & loqvela prorſus impeditis, manibus frigidis, pulſu vix ſenſibili, injectione mox in fauces facta & repetita mucus qvidam ſolutus & ejectus fuit, unde loqvela & deglutitio redierunt; ſolutione dein tartari ametici per cochlearia porrecta expectoratio puriformis promovebatur cum levamine adhuc majore, ita ut curatio remediis appropriatis roborantibus & expectorantibus junctis perfecta fuerit. Qvædam omnes gradus atqve reliqvias febris putridæ percurrebat, in primo ſtadio ſummum ſtuporem, diarrhœam, debilitatem, dein tuſſim cum expectoratione puriformi, poſtea ſcorbutum, & demum animi diuturnam moroſitatem & amentiam, ſub qva nemini interroganti reſpondit, nullum ſanum verbum protulit, ſponte autem cantavit, ſaltavit & poſt longum tempus demum reſipuit.

2.

2. Febres pleuriticæ nonnullæ, e 17 ægrotis qvatuor moriebantur, qvorum cura initio neglecta fuit; eidem causæ tribuendum est, qvod in qvibusdam suppuratione terminatus fuerit morbus, hi tamen præcipue ob efficaciam jusculi secalini sanabantur.

3. Paraplexia mihi occurrit in fœmina 44 annorum qvæ past insultum apoplecticum oborta qvatuor jam mensibus duraverat, omnia prorsus membra infra caput, tam extremitates, qvam dorsum paralytica erant, ita ut sese movere aut corpus erigere omnino haud valuerit ægrota; loqvela etiam valde impedita; alvus vero & appetitus naturalia; vesicatoria artubus applicita nullum perceptibilem effectum produxerunt, sub usu autem liqvoris nervini ad guttas triginta ter indies, simul & diligenter adhibitis cucurbitis siccis, frictionibus & balneo vaporis, nam stillatitio balneo membra rigidiora fiebant, mobilitas membrorum omnium intra qvatuor menses restituta fuit exceptis digitis pedum, qvi flectionis & extensionis haud debito capaces fieri potuerunt.

4. Similis paralytica debilitas, sed tantum artuum superiorum in altera fœmina juniori post colicam hystericam orta fuit & allatis remediis sanata.

SECTIONES:

5. Febris putrida inſignis gradus apud juvenem 26 annorum jamjam in decremento erat, cum ſubitò decimo ſeptimo die ſupervenerit inſignis dolor punctorius pectoris dextricum tuſſi, expectoratione mucoſo-ſangvinea, diſpnœa enormi, pulſu duro, genis rubeſcentibus; poſt triplam venæſectionem, veſicatorium pectori applicitum, emulſionem camphoratam dolor miteſcebat, dyſpnœa autem continuabat cum intercurrente vomitu, increſcente debilitate, tuſſi, qvæ tamen ultimis vitæ diebus ſiluit; decimo qvarto die poſt aggreſſos dolores pectoris exſpirabat æger. In aperto cadaveris abdomine nil præternaturale erat, niſi ſitus hepatis, qvi juſtò magis depreſſus erat; inciſo pectore dextro effluxit enormis copia ad aliqvot menſuras fluidi purulenti, qvod totam cavitatem pectoris dextri implere reperimus, ita ut modò minima pars pulmonis ſu-perſtes fuerit.

6. Juvenis 23 annorum, ſanata per corticem qvotidiana bimeſtri, levem ſcorbuti gradum patiebatur, præſcriptis huic morbo aptatis remediis inopinatò aggreſſa fuit oppreſſio pectoris enormis intra paucas horas letalis. Aperti thoraci cavitas dextra largam, ſiniſtra minorem ſeri copiam continuit, pulmo dexter ſuperius cum pleura coalitus erat,

per-

pericardium etiam multum ſerum cum corde magno includebat, hepar & lien magnitudinis enormis erant.

7. Fœmina 25 annorum mox poſt partum doluit abdomine cum expanſione ejusdem, diarrhœa, vomitu; ſeptimo die in dicto ſtatu ad nos venit & decimo die moriebatur. In cadaveris abdomine multum aderat liqvidum flaveſcens pure denſo inteſtinis paſſim adhærente commixtum, omentum majus meſocolon, uterus, tubæ fallopii, ovaria rubro-nigreſcentem colorem habuerunt.

8. Altera 26 annorum ſex diebus ante partum febre laboraverat, ſymptomatibus ſolitis putridis ſtipata, tunc fœtum vivum enixa fuit & inſeqventi die ad nos delata, mox emeticum exhibitum fuit cum largo effectu ſurſum & deorſum lochia bene fluxerunt; nono morbi die aliqvalem dolorem abdominis cum ejusdem expanſione qværebatur ægra; nunc antiphlogiſtica medela adhibita fuit, ſymptomata verò perdurabant & duodecimo die per mortem terminabantur. In aperto abdomine paucum aderat ſerum, ventriculus erat enormis tam qvoad longitudinem qvam expanſionem intus äere plenus; pars uteri ſiniſtra nec non tuba fallopii & ovarium ejusdem lateris omnino colorem nigrum habuerunt.

9.

9. Apud ſexagenarium, qvi poſt inſultum apoplecticum reddebatur mutus debilis, ſtupidus cum deglutione vix poſſibili & intra qvatuordecim dies moriebatur, diſſecto cranio invenimus cerebri ſubſtantiam valde mollem nec non ſerum limpidum extravaſatum inter piam matrem & cerebrum atqve in omnibus ventriculis & baſi cranii.

APRILIS.

1. Febres putridæ numeroſæ ſc. 50 fere omnes qvoad gradum & durationem graves ſæpe cum petechiis non raro combinatæ cum tuſſi increſcenti morbo adjuncta atqve ſputo mucoſo crebrius puriformi; ſex ægroti moriebantur, tres cum ſtupore enormi ſeptimo aut nono die, unus ob ſphacelum lumborum & femorum; qvinta ob impeditam expectorationem & ſputum deglutitum; ultimus, qvi etiam tuſſi cum ſputo impedito laborabat, poſtremo vitæ die largum ſangvinem grumoſum e pectore ejecit & mox moriebatur; poſt mortem larga qvoqve ſangvinis copia ex ano illius profluxit.

2. Febres intermittentes nonnullæ; qvædam tertiana laborans ſimul hyſterica fuit

extra

extra paroxysmos febriles cardialgia, ſplenalgia, ſingultu, ſpasmis crurum irregulariter vexata; præmiſſis digeſtivis dabatur cortex in ſubſtantia, febris verò exinde augebatur imo continua reddebatur; hinc pulveris loco porrectum decoctum corticis febris typum reproduxit, eundemqve mitigavit, haud vero fugavit; ſimul ideo propinatis pillulis ex aſſa fœtida mane & veſpera & interdiu decocto corticis adhibito reſtituta fuit ægrota. Qvartana qvatuor menſium cortice ſolo haud ſanabilis adjuncto ſimul ſucco herbarum recentium fugabatur.

3. Febres catarrhales mediocri numero, indolis epidemicæ cum coryza, raucedine, cephalalgia, qvandoqve vertigine tuſſiqve paucis diebus ſponte transeuntes imprimis ſub diæta tranſpirationem modice promovente. Hiſce raro adjuncta fuit pectoris inflammatio, qva duo moriebantur, alter horum ſeptem diebus jam ægrotans qverebatur dolorem totius pectoris oppreſſorium, contra qvem v. Stio. veſicatorium antiphlogiſtica & expectorantia initio levamen attulerunt & ſputum promoverunt puriforme, qvod dein magis impeditum reddebatur & demum per mortem 27mo die incidentem ceſſabat. Inciſo pectore proſiluit merus ſangvis, qvi ablato ſterno ad enormem copiam aderat in cavitate pectoris dextro cum intermixto pure

nec


nec non ſubſtantia qvadam celluloſæ indolis qvæ ſine dubio erat reſidua pars pulmonis hujus lateris, utpote nullum aliud illius veſtigium aderat.

4. Lipothymico morbo ſingulari ægrotavit ſexagenarius: omni circiter hora & ſæpius recurrebat lipothymiæ inſultus initio cum pallore dein rubore faciei & tantum minuto ſecundo durans, triduo ita afflictus ad nos ducebatur cum alvo ſegni, pulſu admodum exili & inſigniter intermittente; porrectum mox emeticum evacuationem largam ſurſum & deorſum produxit, ſimul verò acceſſit ſingultus; tribus diebus incaſſum adhibui hirudines temporibus applicitas, veſicatorium nuchæ, & liqvorem nervinum alternatim cum cremore tartari, ſexto morbi die exhibui mixturam camphoratam acidam cujus unciis ſex appoſita erant moſchi grana qvatuor, ad cochlearia duo bihorio nec non mane & veſpera cochleare minus pulveris compoſiti e cremoris tartari partibus duabus, radicis rhei parte una; primo abhinc die rarius revenit lipothymiæ inſultus & dein ſenſim intra paucos dies ſub continuatione allatæ medelæ prorſus diſparuit.

5. Dolores arthritici in juvene 21 annorum poſt duos menſes ſponte terminabantur in plenariam immobilitatem haud dolentem omnium artuum absqve tumore, ita ut nul-

lum prorſus membrum æger movere valuerit; veſicatoria omnibus artubus ſucceſſive appoſita fuerunt absqve effectu; ſenſim autem ſub uſu balnei tepidi totius corporis ter qvavis ſeptimana adhibiti, cucurbitis ſiccis freqventer applicitis nec non liqvore nervino ad guttas triginta ter per diem porrecto qvatuor menſibus ſanabatur æger. Tranſitus talis arthritidis in paralyſin ob raritatem memorabilis eſt.

6. Vir 37 annorum ſub inſultu apoplectico perdidit vim loqvendi & movendi extremitates lateris ſiniſtri atqve poſt qvatuordecim dies exſpiravit. Diſſecto cranio demortui invenimus ventriculum lateralem dextrum inſigni copia ſangvinis atri ſpiſſi repletum & dilatatum, ſiniſtrum verò tam a ſangvine qvam a ſero prorſus vacuum, qvod confirmat rem aliàs ſæpius probatam ſc. nervos unius lateris corporis e parte cerebri oppoſiti lateris vim ſuam recipere.



MAJUS.

1. Febres putridæ rariores modò ad numerum viginti qvatuor; plurimis juncta fuit tusſis cum dolente affectione pectoris ſine dubio

per

per influxum a febre catarrhali hoc menſe epidemica, in multis expectoratio purulenta terminabat morbum, qvatuor moriebantur, qvidam apoplecticus, cœteri ſub debilitate & ſtupore enormi.

2. Febres catarrhales freqventiſſimæ fuerunt; multæ ſimplices cum coryza, tuſſi nonnulla, dolore tenſivo pectoris & capitis, qvandoqve raucedine intra paucos dies ſolo regimine diapnoico ſanabantur; plurimis ſimul juncta fuit inflammatio pectoris, qvæ venæſectionem repetitam deſideravit; parvi feci tempus morbi qvoad phlebotomiam inſtituendam, qvandoqve octo, interdum qvatuordecim diebus duraverat pectoris dolor in ægrotis ad nos ductis, & nilominus e pulſus viribus & gravitate doloris fauſtum indicium mittendi ſangvinis deduxi: in paucis expectoratio purulenta morbum terminans diu ſatis protracta feliciter tamen præſertim ope juſculi ſecalini ſuperata fuit: E triginta ægrotis unicus tantum ſexagenarius tuſſi inveterata ante hunc morbum vexatus morte ſuccubuit. In inflammationibus bona qvidem eſt regula qvo citius, eo melius ſecare venam, morboqve diutius protracto non adeo tutam & efficacem medelam eſſe ſangvinis miſſionem ſimul a medicis receptum eſt; verum qvia ægroti haud initio morbi ſed fere ſemper ſub progreſſu ejusdem ad noſocomium feruntur, neceſ-

ſitas me coëgit, venæſectionis terminum haud adeo ſtricto circumſcribere tempore, indeqve capta experientia me docuit, ſatius eſſe in inflammationibus qvamvis jam protractis phlebotomiam inſtituere qvam omittere, dummodo robur pulſus dolorisqve vehementia perſiſtunt, & dein repetitionem hujus medelæ ex illius effectu determinare, nec ideo metuenda eſt venæſectio tanqvam inutilis vel noxia, qvod inflammatio provecta jamjam ad finem ſuum ſuppurationem vel alium tendat; multiplice enim caſu compertum habeo, tempus tranſitus inflammationis in alium corporis ſtatum haud adeo fixum eſſe ac vulgo creditur & ab auctoribus traditur, qvod præſertim valet de inflammatione rheumatica qvæ toties in pectore obvenit, diuqve ſine mutatione aut tranſitu in alium morbum ſubſiſtere valet.

3. Febres intermittentes nonnullæ varii typi; qvidam 25 annorum biennio mox tertiana mox qvartana, demum qvotidiana ægrotabat cum tuſſi, oppreſſione cardiæ, colore faciei cachectico, fruſtra tentato pulvere e cremore tartari, ſale ammoniaco, radice rhei, decoctum graminis & taraxaci in uſum vocabatur, & menſis ſpatio continuatum ſanavit febrem; duo alii etiam febre diuturna afflicti & ſpiritu vini cum pipere contuſo uſi ſimili reſolvente remedio ſanabantur.


4.

4. Diarrhoea habituali trium menſium laboravit fœmina 26 annorum qvandoqve cum, interdum absqve dolore abdominis cum inſigni debilitate & emaciatione corporis; incaſſum adhibitis variis, ſc. rheo, decocto albo, lyſimachia rubra, demum obſervatæ fuerunt maculæ lividæ crurum cum rigiditate eorundem notabili; hinc ſuccus herbarum recentium cum continuatione decocti albi & mixtura compoſita ex eſſentia caſcarillæ, rhei vinoſæ ana uncia dimidia, liqvoris anodini mineralis drachma ad guttas ſexaginta ter indies porrectas, qvibus intra tres hebdomades e morbo utroqve liberata fuit ægrota.

Nonne hæc diarrhoea ſcorbuticæ nomen meretur?

5. Juvenis 21 annorum qveritur dolorem pectoris ſiniſtri undecim ſeptimanis durantem, raro remittentem, ſub motu corporis ingraveſcentem, ſextiduo proximo adauctum cum adjuncta tuſſi ſicca & intercurrente paroxysmo lipothymico convulſivo, pulſus erat tenſus; triduo primo ſangvis miſſus & naturalis inventus fuit; etiam camphoram adhibui, alvum ſubduxi; dolore pectoris hinc parum mitigato acceſſit aliqvalis dolor in crure ſiniſtro; ideo arthritidem ſuſpicans veſicatoria ſuris applicui; poſtea dolor pectoris vagus reddebatur pulſatorius qvandoqve caput occupans; jam pallidus & extenuatus

ægri vultus mihi anſam dedit interrogandi alumnum hunc militarem, num onanismo deditus fuiſſet? Qvo confeſſo præſcripſi merum corticis peruviani pulverem bis qvotidie ſumendum & liqvorem nervinum bis adhibendum nec non abſtinentiam a mala conſvetudine; hiſce paucas intra hebdomades convaluit. Exemplum hoc fuit arthritidis ſtricte nerveæ dicendæ ſc. a nervorum teneritudine & nimia ad dolorem diſpoſitione derivandæ.



JUNIUS.

1. Febres putridæ freqventes & gradu notabiles; commune & grave ſymptoma illis annexum erat ſangvinis ſumma congeſtio ad caput cum enormi cephalalgia, rubedine & ardore faciei atqve oculorum, ſummoqve ſtupore; licet hoc malum ſine dubio e ſorditate primarum viarum potiſſimum derivandum eſſet, rarò tamen emetica & laxantia ad illud debellandum ſuffecerunt; hirudines verò temporibus ſemel vel ſæpius applicitæ & præſertim epithema frigidum ſc. linteum aceto & aqva frigidis madefactum & capiti deraſo omni hora impoſitum maximo & evidenti emolumento erant. Qvidam initio

tio morbi rite evacuatus dein ſub uſu corticis & camphoræ convaluit, vigeſimo autem die e novo absqve externa cauſa ſupervenerunt ſigna impuritatum primarum viarum ſc. lingva ſordida, ſapor malus, defectus appetitus, dolor vagus abdominis, repetitum emeticum dicta ſymptomata tollebat, & paucis dein diebus ſanabatur æger; In altero, qvi initio morbi debite evacuatus cortice & camphora utebatur, alvumqve parum laxam habebat, nono die hora tertia matutina oriebatur frigus hora qvinta reveniens, decima nocte hora 3½ idem frigus cum inſeqventi ſudore, poſt meridiem eadem hora ſimile frigus; undecimo die idem recurrebat frigus; cum cortex absque effectu datus fuit, alvus erat laxa & lingva ſordida, radicis ipecacuannæ drachmam dimidiam porrexi, unde multus vomitus producebatur & frigora ceſſabant, morbusqve dein continuatis cortice & camphora curabatur. Apud alterum febris putrida ſub allata medela tranſiit in qvotidianam, qvæ ſumto emetico ſtatim fugabatur. Juvenis 22 annorum decimo morbi die reqviſita evacuatione jam inſtituta incidit in paroxysmum qvaſi exſtaſin cum impeditis deglutitione & loqvela, qvi poſt aliqvot horas ſponte ceſſavit, undecimo die ſimilis revenit paroxysmus, ſapor oris erat peſſimus; hinc repetii emeticum cum

largo effectu, duodecimo die iteratus fuit idem insultus non verò eadem hora, ac die prægresso, nunc dedi liqvoris nervini guttas viginti bihorio, posteaqve symptoma hoc singulare cessavit, sensimqve æger convaluit. Exempla hæc memoravi præsertim, qvia demonstrant utilitatem & innocentiam emeticorum, non modo incipiente febre putrida, sed etiam postqvam notabilem fecit progressum & roborantia remedia adhibita sunt qvando sc. signa impuritatis primarum viarum resurgunt: numerus ægrotorum sexaginta sex complectebatur, qvorum decem moriebantur, qvidam apoplectici, alii ob metastasin ad pectus cum sputo purulento demum impedito.

2. Foemina 48 annorum arthritide tam capitis qvam omnium artuum ultra dimidium annum misere affligebatur, ita ut nec sese movere nec dormire potuerit; remedia omnis generis antarthritica adhibuit, imo ipsam salivationem per mercurium verum incassum, demum solutio aqvosa resinæ gvajaci in usum vocabatur vi cujus duobus mensibus ingestæ sanabatur ægra, & adhuc bene valens munere famulæ in nosocomio fungitur.

3. Vir 38 annorum post qvartanam febrem integri anni sponte evanidam mox corripitur oppressione pectoris, dyspnoea, tussi sicca, insomnia, nonnullo oedemate crurum,

diuresi

diuresi parca, qvinam status jam modo octiduo duraverat; scilliticis & aliis resolventibus adhibitis die undecimo post introitum in nosocomium moriebatur. Aperto cadavere omne vitium in pectore inveniebatur, cujus utraqve cavitas sero sangvinolento repleta erat, pulmones in parte superiore & anteriore cum pleura coaliti erant; nullum est dubium qvin hæc extravasatio fuerit metastatica depositio materiæ febrificæ a sangvinis massa separatæ & in pectore collectæ.

JULIUS.

1. Febres putridæ adhuc freqventes & graves; e numero ægrotorum qvadraginta octo moriebantur qvinqve; confluxus sangvinis ad caput in epidemia prægressi mensis notatus in præsenti adhuc major videbatur; dissolutio sangvinis per freqventem narium hæmorrhagiam etiam indicabatur; methodus refrigerandi caput continua affusione aqvæ vel aceti frigidi mire respondebat voto avertendi hanc congestionem ejusqve timendas seqvelas, adeo ut non possim non satis laudare & adoptare hanc medelam in putridis febribus præsertim qvotiescunqve sangvis versus

caput ſolito magis determinatur; nec ſola experientia innititur hæc praxeos regula, ſed etiam theoriæ apprime convenit, qvodnam remedium valentius & penetrabilius tam ad ſangvinem in vaſis cerebri collectum & rarefactum condenſandum qvam ad vaſa debilia & dilatata roboranda & conſtringenda qvam frigus cogitari poteſt; nonne huic auxilio præcipue fidendum eſt ad præcavendam apoplexiam, qvæ in febribus putridis non raro obvenit ſine dubio ob ſanguinem nimis in cerebro collectum, rarefactum & forſan extravaſatum. Juveni 19 annorum ſupervenit ſimilis ac menſe prægreſſo allata faucium conſtrictio deglutitionem & loqvelam horæ ſpatio impediens, qvæ autem, adhibito liqvore nervino, non poſtea revenit. Apud nonnullos acceſſit in ſtatu morbi ſputum ſangvineum qvandoqve merum qvandoqve muco mixtum vel paucum vel largum vel cum vel ſine oppreſſione pectoris; diſſolutionis effectum hoc ſymptoma putavi & decocto chinæ cum ſpiritu vitrioli compeſcui. Puella admodum ſtupida ſub vigore morbi affecta fuit debilitate paralytica extremitatum lateris ſiniſtri, qvæ febre devicta ſuperſtitit; & dein uſu veſicantium, intusqve adhibito liqvore nervino poſteaqve eſſentia ſtibii cum ſpiritu lavendulæ compoſita intra menſis ſpatium prorſus ſanata fuit.

SEC-

SECTIONES:

2. Foemina 31 annorum mox poſt partum corripiebatur febre cum expanſione dolente abdominis, lumbagine, diarrhoea, ſiti inſigni; ad nos ducta jamjam habuit extrema ſudore frigido madentia pulſumqve celerem debilem: altero die obiit. Cadaveris ſecti ventriculus & intoſtina aëre inſigniter expanſa, in cavitate pelvis ſerum largum flavum purulentum, ſuperficies anterior uteri cruſta purulenta obducta, tubæ Fallopii & ovaria inflammata.

3. Altera ſecundo poſt partum die eodem morbo affecta fuit, qvi qvatuor dies durans ſingultu, vomitu, diarrhoea, dolore abdominis, pulſuqve celeri duro ſtipatus erat & ſexto die in mortem tranſiit. In abdomine cadaveris ſerum multum flavum cum flocculis purulentis; uterus ad magnitudinem capitis infantilis dilatatus ſangvinem grumoſum includens; ambo ovaria, & tubæ fallopii inflammata, magna, dura.

4. Vir tactus apoplexia, cujus effectus erat hemiplexia lateris ſiniſtri cum inſigni ſtupore & debilitate, poſt menſis ſpatium exſpiravit. Aperto cranio aliqvale ſerum inter tunicam arachnoideam & duram matrem; ventriculus lateris dextri largiſſimum ſerum continebat nec non abſceſſum notabilis magnitu-

nitudinis; hæmiſphærium dextrum excepta tertia parte antica in maſſam mollem adeo fluidam diſſolutum erat, ut ſub declivi capitis ſitu uno cum ſero in ventriculo contento efflueret; poſterior pars thalamorum opticorum æqve erat mollis & fluida.

5. Vir 35 annorum quatuor menſibus laboraverat cephalalgia admodum gravi irregulariter recurrente per dimidiam horam circiter durante, ante qvem morbum vertigine vexatus eſſe ſoluit; altero die poſt introitum ſubito & placide ſine ullo prægreſſo aut concomitante moleſto ſymptomate exſpiravit. Inter auferendum cadaveris calvariam mox inſignis copia liqvidi ſangvinis e cavitate cranii effluxit; nullum tamen veſtigium diſrupti vaſis invenimus; dura autem mater erat admodum tenuis qvam maxime ſupra cerebrum tenſa, ita ut vix ſine læſione cerebri incidi poſſet; omnia vaſa & ſinus a plenitudine ſangvinis turgeſcebant & nigreſcebant; E ventriculis lateralibus largiſſimum, qvantum hactenus haud vidi, ſerum effluxit, cujus magna copia in baſi cranii aderat. Subitanea hæc mors merito derivatur ex enormi effuſione ſangvinis circa cerebrum, morbus vero ipſe collectioni inſolitæ ſeri in ventriculis, qva partes ſenſiles cranii ultra modum diſtendebantur, adſcribendus eſt; qvare autem hæc cephalal-

gia


gia periodica fuit; dum caufa efficiens conftans fuisfe videtur, occultus qvidem hic naturæ fubeft agendi modus haud tamen alius qvam in febribus intermittentibus.

6. Puella 30 annorum dimidio anno haud menftruata fex diebus laborabat febre continua cum dolore & tumore omnium artuum, fiti, cephalalgia, præterea dolor medii pectoris aderat fuperftes poft hæmoptöen ante fex hebdomadas prægreffam, camphorata adhibui & ter fangvinem mifi phlogifticum, dolores artium hinc mitefcebant; die verò undecimo dolor pectoris notabiliter adauctus adhuc venæfectionem defideravit poft qvam aliqvot horis elapfis apoplexia mox letalis fupervenit. Aperto thorace cadaveris cavitas pectoris finiftri dimidiam circiter menfuram feri limpidi continuit, pulmo finifter valde inflammatus plures parvos abfceffus inclufit, pericardium fero flavo plenum erat; cor parvum crufta puriformi obductum; in bafi cranii duæ circiter unciæ feri fangvinolenti aderant. An fingularis laxitas vaforum aut infignis attenuatio fangvinis, aut utraqve conditio læfa caufa fuit extravafationis morbificæ & demum lethiferæ?

7. Vir 45 annorum febre tertiana qvatuor menfibus laborans cum oppreffione nonnulla pectoris octiduo poft introitum in nofocomium fubitò concidit mortuus. Aperto

de-

demortui thorace omnia ejus contenta ubiqve & fortiter tam cum coſtis qvam inter ſe invicem erant concreta, ita ut unicam maſſam repræſentarent & ſingulorum ſeparatio impoſſibilis eſſet; maxima tamen difficultate parva portio pleuræ dextræ a pulmone ſeparata fuit, qvo facto pars pulmonum ſubjacens cruſta purulenta obducta eſſe videbatur.



AUGUSTUS.

1. Febres putridæ ejusdem genii ac menſe prægreſſo regnabant; inter 51 ægrotos ſex moriebantur. Pectoris inflammationes nonnullæ; qvidam hoc morbo jam qvatuordecim diebus laborans cum ſputo ſangvineo ad noſocomium ducebatur & die vigeſimo expectoravit plura fruſta ſat magna ad aſpectum parenchymatoſæ pulmonum ſubſtantiæ pertinentia & ab eadem vi morbi ſoluta, qvæqve e veſiculis celluloſis äerem continentibus compoſitæ erant; die vigeſimo ſecundo moriebatur æger.

2. Vomitu hectico cum dolore dorſi & hypochondrii dextri fœmina 56 annorum ultra tres menſes cruciata, emaciata & demum necata fuit. Aperto cadavere inventus fuit ſcir-

ſcirroſus tumor ad magnitudinem capitis infantilis in extremitate dextra ventriculi prope pylorum locum habens, vi cujus tranſitus contentorum e ventriculo in duodenum impediebatur; in ſuperficie convexa hepatis nec non in ſubſtantia ejusdem plura tubercula ſcirroſa aderant, pancreas etiam induratum.

3. Oppreſſione cardiæ & medii pectoris dimidio anno magis magisqve adaucta laborabat puella 26 annorum jam cum tanta dyspnœa, ut ne minimum qvidem corporis motum nec ſitum erectum tolerare valeret ſed ſemper in dorſo decumbere coacta eſſet, alvus erat ſegnis, appetitus proſtratus, crura tumida, facies cachectica, ſed nulla tuſſis, nec ullus perceptibilis tumor aut durities præcordiorum, menſtrua regularia. Vix aliam cogitare potui cauſam qvam obſtructionem hepatis; remedia ideo reſolventia elegi, ut ſalina cum rheo, decoctum graminis & taraxaci, pillulas ſaponaceas cum radice ſqvillæ & kerme minerali nec non laxantia pro neceſſitate; duobus fere menſibus ſub hac medela & ſine mutatione morbi conſumtis dolores vagos capitis qvandoqve cum dolore crurum alternantes qverebatur ægra, ſimulqve retulit, ſeſe ante hunc morbum doloribus arthriticis vexatam fuiſſe; ſuſpicionem hinc nactus fui de arthritica indole morbi, ideoqve præſcripſi ſolutionem reſinæ gvajaci aqvoſam ad cochle-

are

are majus ter indies ſumendam, menſis ſpatio hæc medicina adhibita notabile levamen dyſpnoeæ attulit ſimulqve alvum qvotidie modice ſubduxit; verum dolores vagi artuum increverunt, qvapropter adhuc per menſem continuata gvajacina ſolutio ægrotam prorſus ſanabat.

4. Hydropem notabilem febris acutæ ſeqvelam & qvatuor jam menſibus durantem ſanavit mixtura compoſita e cremoris tartari ſolubilis uncia, ſpiritus ſalis dulcis drachmis duabus aqvæ petroſelini unciis ſex, cujus cochlearia duo bihorio vel trihorio ſumebantur, qvamnam curationem mentione eo digniorem habeo, qvia talem efficaciam, aliis fruſta tentatis, hæc medicina exſeruit.

5. Vir 50 annorum aliqvot menſibus laborabat dolore medii abdominis preſſorio prope dorſum cum pyroſi moleſta, vi cujus inſignis copia ſalivæ continuo ex ore excernebatur, crurum demum acceſſit tumor, alvus erat ſegnis, corpus emaciatum, facies cachectica, tentavi reſolventia ut tincturam rhei, ſalina, ſaponacea, decoctum graminis & taraxaci, qvibus nec levamen nec juvamen afferebatur; ſolum palliativum ad pyroſin mitigandam & alvum ſubducendam erat magneſia alba aliqvoties per diem ſumta, aliàs æger ſenſim reddebatur debilior & demum poſt tres menſes maraſmo obiit; aperto ca-

cadaveris abdomine invenimus qvod ſuſpicatus fui, ſc. pancreas admodum induratum; omnia præterea inteſtina tenuia valde erant anguſtata colore livido-rubro notata, ſplen parvus, ventriculus contractus.



SEPTEMBER.

1. Febres putridæ adhuc numeroſæ, enormis congeſtio ſangvinis ad caput prægreſſis menſibus epidemiam putridam concomitans hoc menſe multo minor fuit; E 70 ægrotis octo moriebantur & inter hos juvenis ob metaſtaticum tumorem utriusqve parotidis, altera mediante paroxysmo apoplectico cum inſeqvente hemiplexia.

2. Plures pictores colica ſaturnina laborantes in noſocomio curabantur methodo diu apud nos contra hunc morbum recepta & fere nunqvam fallente ſc. remediis laxantibus oleo mixtis, enematibus oleoſis, cataplasmatibus emollientibus abdomini applicitis. Inter hos ægrotos juvenis ſolitò gravius decubuit ſex ſc. diebus cum dolore inſigni conſtrictorio abdominis, nec non dolore crurum & femorum, obſtipatione alvi, vomitu, ſingultu, pulſuqve duro non celeri; ſimul nonnulla

odontalgia & cephalalgia accesserant; clysma oleosum mox largiter evacuavit alvum; cataplasma abdomini appositum & intus potio laxans in hoc casu efficax composita e mannæ calabrinæ unciis duabus salis anglici uncia dimidia solutis in aqvæ fervidæ unciis qvatuor & adjectis olei lini unciis duabus propinata fuit, symptomata tamen æqve gravia cum vomitu omnium ingestorum perdurabant; hinc laudani liqvidi Sydenhami guttas octo omni hora mox post ingestum laxans sumendas præscripsi nec non repetendum clysma; his factis post aliqvot horas omnia illa gravia symptomata cessabant, subitò autem paroxysmus qvasi epilepticus oriebatur, qvi mox instituta venæsectione fugabatur relicta vertigine cum visu obnubilato, qvænam symptomata adhuc repetita phlebotomia & bis applicitis hirudinibus ad tempora solvebantur; sanationem colicæ dein complevit solutio mannata per aliqvot dies continuata. Nonne epileptici modus laudano liqvido ad triginta circiter guttas paucarum horarum spatio assumto adscribendi sunt? Saltem ego hanc causam suspicor, ideoqve illud remedium in posterum cautius, si unqvam, propinabo in hac colicæ specie præsertim, qvia multiplex experientia illam esse sanabilem absqve usu opiatorum me docuit.

SEC-

SECTIONES.

3. Buccinator 48 annorum ſtrenuus potator aſtmate periodico cum intercurrente vomitu aliqvot annis afflictus ſex proximis menſibus ante introitum in noſocomium continua angebatur dyſpnœa cum ſomno turbulento imo ſub decubitu in dorſo impoſſibili; hisce demum tumor crurum acceſſerat; menſis ſpatio varia diuretica incaſſum adhibebat, qvapropter illum admonui ut ad ſubitaneam moxqve inſtantem mortem eſſet præparatus, cui præſagio reſpondit eventus. Apertum cadaveris abdomen inſignem ſeri copiam effundebat, omentum erat ſphaceloſum, qvamvis nullum dolorem abdominis ſub morbo qveſtus fuiſſet, tubercula ſcirrhoſa totam ſuperficiem convexam hepatis obtegebant; cavitas utraqve thoracis ſero plena erat, nec non pericardium, cor ipſum inſignem habebat magnitudinem.

4. Fœmina 34 annorum olim matrona proſtratæ pudicitiæ qvatuor menſibus patitur dolorem inſignem regionis hypogaſtricæ & lumborum cum fluore albo continuo fœtido qvandoqve ſangvineo nec non dolore & tumore utriusqve cruris; ſcirrhum uteri mox ſuſpicans a nullo medicamine juvamen ſperavi, attamen, qvid radix gei valeret, tentaturus, eandem ægrotæ, qvamdiu vixit, ſc.

menſis ſpatio adhibendam præſcripſi. Aperto abdomine defunctæ uteroqve exciſo invenimus collum illius ſangvine fœtidô coagulato repletum atqve in pagina illius inferiore tumorem durum ſcirrhoſum, tota præterea colli circumferentia exulcerata & qvaſi lacerata apparuit.

5. Vir 59 annorum bimeſtri ſpatio laborans tuſſi dyspnœa, necnon dolore oppreſſorio cardiæ ab ingeſtis adaucto, tumore œdematoſo crurum urina parca, paucis poſt introitum relapſis diebus ſubito exſpiravit. Disſecto cranio vaſa meningum & cerebri ſangvinis plenitudine turgeſcebant, ambo ventriculi laterales largum ſerum limpidum continebant; in baſi cranii aderat inſignis copia ſangvinis extravaſati, utraqve cavitas pectoris erat ſero pellucido impleta & ambo pulmones in poſtica parte cum coſtis coaliti.

6. Vir 28 annorum qverebatur dolorem lumborum & infra coſtas ſpurias dextras, qvi duobus qvidem annis mitior & intermittens fuerat, jam verò per aliqvot menſes gravior & demum proximis qvatuordecim diebus fixus redditus, teſticulus dexter etiam naturali menſura parum major & juſto durior erat. Initio vena aliqvoties ſecabatur ſine levamine, camphorata & dein deobſtruentia varia incaſſum tentabantur, dolor enim augebatur, teſticulus magnitudine & duritie increſcebat; exſtir-

pa-

pationem illius tanqvam inutilem imo cito funeſtam denegavit Chirurgus; ſibi ideo relictus morbus tertio & ultimo menſe, qvo æger in noſocomio commorabatur, miſerrimos ſecum duxit abdominis cruciatus nec non tumorem & dolorem femoris & cruris dextri atqve vomitum omnium ingeſtorum. Aperto cadaveris ventre mox nobis in conſpectum venit ſangvis extravaſatus niger coagulatus; in medio abdominis prominebat tumor notabilis, qvi pone peritoneum ſitus erat atqve verſus regionem lumbarem dextram propagatus, ubi maximus & tantus erat, ut hepar furſum verſus ſub diaphragmate compuliſſet; examinatus hic tumor inveniebatur eſſe ren dexter, qvi ſuperſtite modò exigua parte naturalis ſubſtantiæ degeneratus erat in allatam enormem maſſam capitis volumen ſuperantem, qvæ inciſa continuit materiem ſpiſſam qvaſi ſteatomatoſam aut pus coagulatum partim album partim rubrum ſangvine mixtum; funiculus ſpermaticus ab hoc tumore ortum traxit ad volumen antibrachii modici dilatatus e menbranis admodum craſſis compoſitus intus continens materiem illi, qvæ in tumore abdominali aderat, ſimilem, atqve finitus in teſticulum dextrum, qvi caput infantile referens organiſatione naturali orbatus erat intusqve materia denſa ſteatomatoſa plenus.

OCTOBER.

1. Febres putridæ regnare pergebant; plurimos ægrotos restituit expurgatio primarum viarum partim per artem sc. emetica & laxantia initio morbi porrecta partim sub progressu morbi per vim ipsius naturæ remediis solitis roborantibus juvatæ & sustentatæ; in nonnullis metastasis decimo qvarto circiter die ad pectus facta fuit, cum inseqventi sputo puriformi. E septuaginta ægrotis octo moriebantur.

2. Febre pleuritica undecim decubuerunt, qvorum unicus ob suppurationem inflammationi succedentem e medio tollebatur.

3. Cephalalgia enormis puellam post menstrua nimis larga invadebat constans cum summa inqvietudine ad delirium fere usqve; vena secta fuit, vesicatoria brachiis applicita, hirudines temporibus, camphorata intus, omnia incassum; demum exhibui pulveris refrigerantis uncam cum admixtis moschi orientalis granis qvatuor, unde cochleare minus bihorio sumebatur; sensim hinc diminuta fuit cephalalgia, ita ut primò remittens dein intermittens omni nocte recurrens redderetur; pulvis corticis peruviani nunc in usum vocatus

tus ut in febribus intermittentibus demum menſis ſpatio indeſinenter adhibitus ſuſtulit morbum.

4. Juvenis 25 annorum poſt febrem acutam ſingulari afficitur v. corripitur hydrope ſolius præputii, qvod in tota circumferentia notabiliter œdematoſe intumuit glandemqve haud parum compreſſit; aqva vegeto minerclis ſæpe applicita nullius emolumenti erat; dein inſtituta fuit ſcarificatio, qva ſerum ſuperfluum effluxit, ſimul autem jungebatur exulceratio diu a chirurgis deligata & demum conſolidata; ſuperſtite autem craſſa admodum & calloſa intumeſcentia præputii, unde ſterilitas timenda erat.

5. Vir 31 annorum jam qvatuordecim diebus laborabat hemiplexia lateris ſiniſtri poſt inſultum apoplecticum ſuperſtite cum impedita loqvela, cephalalgia vertiginoſa; mox hirudines temporibus appliciti fuere nec non veſicatoria brachiis, & laxans intus porrectum; hiſce primo biduo ſine notabili levamine porrectis auxiliis propinavi liqvoris nervini guttas viginti trihorio nec non pulveris e cremoris tartari partibus duabas radicis rhei parte una compoſiti cochleare minus omni veſpera & mane, ſub qvorum uſu indeqve producta modica & qvotidiana alvi ſubductione omnia in melius vertebantur & ſpatio qvatuordecim dierum prorſus reſtitutus fuit æger.

SECTIONES:

6. Vir 44 annorum dolore ſub coſtis ſpuriis dextris ad dorſum propagato cum tuſſi ſicca, dyſnœa præſertim ſub ſitu horizontali affligebatur, facies erat cachectica, corpus emaciatum, crura tumida, alvus ſegnis; obſtructionem viſcerum imprimis hepatis ſuſpicans varia reſolventia fruſtra exhibui, alvus demum reddebatur laxa & peractis tribus menſibus debilitatis ſummum faſtigium mortemqve attigit æger. Ex aperto cadaveris abdomine ſerum paucum effluebat, tunica hepatis corrugata qvaſi cocta apparuit, omnia inteſtina naturaliter magis rubeſcebant; perluſtrato thorace pulmo dexter erat tam ad coſtas qvam ad diaphragma adeo firmiter accretus ut ab his partibus nec manu nec cultro chirurgi ſine læſione ſeparari potuerit, factaqve inciſione inveniebatur corpus intermedium allatis partibus pulmonem annectens album compactum naturæ cartilagineæ, craſſitiem dimidii digiti habens; ſubſtantia ipſius pulmonis nigra in materiam tenuem reſoluta; verſus columnam vertebrarum pulmo hic liber erat, ibidemqve ſat magna copia ſeri aderat; parva portio ipſius cordis prope auriculam ſiniſtram pericardio accreta erat.

7. Vir 66 annorum qverebatur dolorem ſub coſtis ſpuriis ſiniſtris jam qvatuor ſepti-

ma-

manis durantem fixum ab attactu increſcentem cum aliqvali intumeſcentia nec non vomitu omnium ingeſtorum alvoqve laxa; ſubitò altero poſt introitum die exſpiravit. Aperto abdomine ſuprema pars inteſtini S romani dicti peritoneo & aliis inteſtinis proxime ſitis accreta erat, ibidemqve formabatur receptaculum ſat magnum, e qvo inciſo magna copia ſeri opaci proveniebat, cui flocculi purulenti innabant; S romanum ipſum atri coloris erat, cruſtaqve purulenta obductum; inteſtina reliqva paſſim inflammata.

8. Fœmina 50 annorum dimidio anno cruciata fuit dolore cardiæ conſtanti & hypochondrii utriusqve nec non tumore totius abdominis, qvænam malà dein magis magisqve increverunt cum intolerantia ingeſtorum, colore icterico, alvo laxa, decremento virium; qvibus in noſocomio tres menſes durantibus miſeriis finem impoſuit optata mors. Secto demortuæ ventre effluxit ſerum largum ſaturate aurantium; omenti magni nullum adfuit veſtigium, ſed ejus loco in toto tractu coli transverſi ubi hoc aliàs inſeritur, aderat corpus album durum ſcirrhoſum ad craſſitiem duorum circiter pollicum; tota curvatura ventriculi minor notabilem formabat tumorem ſcirroſum; ductus cyſticus & choledochus etiam duri ſcirroſi erant, totum meſenterium degeneratum erat in corpus durum, homo-

geneum cartilagini ſimile, qvo omnia inteſtina ad columnam vertebrarum admodum ſtricte alligata erant atqve in ſolito plures, ſed ſimul minores gyros convoluta.

9. Diarrhœa colliqvativa non torminoſa ad omnia remedia imo ipſam radicem gei urbani, inſanabili qvatuor menſium ſpatio conſumebatur fœmina 45 annorum. Pro cauſa morbi mortisqve invenimus in ventre cadaveris glandulas totius meſenterii induratas, qvasdam minus, alias ad magnitudinem nucis avellanæ, inteſtinum jejunum lividi coloris, inteſtinum ileum pro parte ſphaceloſum, ex altera parte admodum contractum.

10. Vir 30 annorum decem menſibus hydrope tam anaſarca qvam pectoris per ſummam dyſpnœam præſertim ſub ſitu horizontali indicato demum moriebatur. Cadaveris abdomen inciſum ſerum flavum effundebat; hepar erat inſignis magnitudinis ſub inciſione etiam ſangvinem effundens, glandulæ meſenterii & pancreas indurata; cavitas thoracis dextra ſero prorſus repleta, ſiniſtra minus ſeri continuit; cor magnum.

NOVEMBER.

1. Febre putrida 63 ægrotabant, qvorum ſex moriebantur; duo ſc. cum morbo admodum

dum provecto luctantes debilissimi altero post introitum die exspirabant, tertius ob metastasin ad pectus cum impedita expectoratione; in duobus venæ sectio bis instituta ob dolorem pectoris fixum initio morbi adjunctum sine dubio tantam induxit debilitatem, ut vires dein ad morbum vincendum haud suffecerint; ultimus ob diarrhœam enormem nullis remediis neqvidem radice gei urbani compescendam sensim exstingvebatur. Vir 42 annorum convalescens e febre putrida, corripitur paroxysmis qvotidianæ cnm sapore malo lingva sordida; præmisso emetico exhibui pulverem corticis peruviani, cui verò ob alvum laxam mox substitutum fuit decoctum corticis cum apposita mucilagine gummi arabici, perdurante nilominus diarrhœa cum excretione ipsius sangvinis & dolore abdominis in auxilium vocabatur pulvis radicis gei omni hora ingestus; sensim hinc & notabiliter minuebantur & intra sex dies cessabant allata symptomata; alvus verò obstipata reddebatur, qvapropter ægrotum jam securum credens loco gei præscripsi decoctum corticis peruviani ad debilitatem superstitem debellendam, alvus qvidem tunc aperiebatur; febris verò mox rediit iterum qvotidie imo post paucos dies sub continuato decocto corticis reddebatur continua cum sapore malo, aliqvali diarrhœa æstuqve insigni, repetii emeticum cum ef-

fectu

fectu sed absqve levamine, lingva manebat sordida cum sapore putrido, pulsu admodum celeri, æstu urenti, jam recurrebam ad pulverem gei, qvi omni hora porrectus intra tres dies omnia allata symptomata compescuit, ægrotumqve periculo liberavit, atqve dein parcius qvatuordecim diebus adhibitus prorsus restituit remanente qvidem aliqvali tussi cum sputo puriformi, qvæ jusculo secalino imprimis juvabatur. Nulla est dubitandi ratio, qvin vita nostri ægroti vix sine radice gei servata fuerit, indeqve deducendum est, dari casus, ubi non juvante cortice opportunum est dictum medicamen; datur enim, ut ita dicam, singularis amicitia & inimicitia ægrorum cum certis medicamentis, vi cujus efficacissima aliàs remedia nullum, & mediocria insigne præstant emolumentum; talis sine dubio ægroti nostri fuit sympathia cum geo & antipathia contra corticem; verum e tali idiosyncrasia generalis praxeos regula inferri haud debet. Vir 27 annorum decem diebus febre putrida decumbens qverebatur cephalalgiam, vertiginem, insignem debilitatem cum lingva sicca, alvo laxa, abdomine tenso subsultu tendinum; dedi mixturæ acido-camphoratæ, cujus unciis sex opposita erant grana tria moschi orientalis, cochlearia duo majora omni hora alternatim cum cochleari minore electuarii e pulvere corticis peruviani uncia dimidia

atqve

atqve radicis rhei drachma dimidia compositi; die undecima abdomen minus expansum, alvusqve minus laxa; die duodecimo parotis utraqve intumescebat; nullum vidi ægrotum, cui ambæ parotides in suppurationem vertebantur absqve letali eventu; hinc ancipitem & novam medicationem certæ morti præferendam judicavi; loco sc. auxilii suppurationem promoventis omni modo inflammationem dissipare conabar; hirudines tumentibus partibus applicui nec non vesicatoria brachiis & inseqventi die suris, omniqve hora linimento volatili inungebantur parotides; decimo qvarto die parotis æqve magna videbatur, nunc loco electuarii propinavi cochleare minus pulveris e corticis peruviani partibus duabus radicis rhei parte una compositi; decimo qvinto die parotides minores erant, alvus qvotidie allata medicina modice laxabatur; die decimo sexto tumor parotidis cessavit, abdomen simul detumuit, qvibus factis sensim sub usu decocti corticis peruviani convaluit & prorsus restitutus fuit æger. Necessitas me coegit in hoc casu medelam prorsus oppositam illi, qvæ hactenus a medicis recepta est, adhibere, qvippeqvæ docet, tumorem parotidum tanqvam metastaticum conservandum & ad maturationem promovendum, qvod si factum fuisset, ægrotus noster certo interiisset; nonne hoc exemplum pro regula agendi in po-

posterum inserviret? Saltem hoc valet de utriusqve parotidis tumore forsan etiam si alterutra tantummodo affecta sit; ubi enim parotides in putridis formantur, jamjam nimia adest sangvinis congestio ad caput, qvæ sub incremento parotidum, imprimis, dum ars emollientia simul applicat, magis augetur, unde ægroti redduntur inqvieti, delirantes & demum funesta apoplexia succumbentes.

2. Juvenis 22 annorum qvatuor hebdomadis diarrhœa laborat ita ut omnia ingesta præterlapsa circiter hora post assumtionem iterum evacuata fuerint, tamen absqve ullo dolore abdominis, virium notabile decrementum & corporis emaciatio hujus morbi erant effectus, huic casui congruum judicavi pulverem radicis gei urbani, qvi proinde ad cochleare minus omni hora porrectus intra tres dies alvi fluxum sedavit, rarius deinceps ad curam perficiendam & relapsum avertendum per aliqvot dies adhibitus fuit.

2. Vir 50 annorum spirituosis valde abusus, capite magno & sapientia parva præditus post insultum ut retulit lipothymicum, verius forsan apoplecticum affligebatur insigni vertigine, gravitate capitis, debilitate crurum tanta, ut ambulare vix potuerit; hirudines bis temporibus applicitæ vesicantia, laxantia vix notabilem effectum produxerunt, manifestum autem levamen & demum restitutio-

nem

nem ægroto conciliavit epithema frigidum capití deraſo freqventer tam ſub uſu pediluvii ſinapini qvam extra illud applicitum.

4. Vir 43 annorum corripitur diarrhœa ſeptem hebdomadum initio cum aliqvali ſangvinis excretione, qvæ poſtea mucoſa fuit & jam ſtercorea eſt, nec non dolore medii abdominis ſenſim adaucto atqve conſtanti, defectu appetitus ſapore amaro, pulſu celeri tenſo; aliqvalem inflammatorium ſtatum inteſtinis inhærere ſupicans ter ſangvinem, qvi phlogiſticus erat, mitti curavi, atqve emulſionem camphoratam alternatim cum decocto albo porrexi; dolor abdominis hinc evanuit, diarrhoea aliqvot diebus ſiluit, dein autem recurrit absqve dolore ventris; nunc dedi tincturam rhei aqvoſam cum liqvore anodino minerali, verum ſine effectu; illi ideo ſubſtitui pulveris radicis gei cochleare minus trihorio, diarrhoea tamen continuat cum adjuncto dolore vago abdominis & vomitu intercurrente, ſepoſito geo ob ſuſpicionem cruditatum vomitum citavi per radicem ipecacuannæ, qvo bis repetito ceſſavit diarrhoea haud poſtea rediens.

SECTIONES.

5. Vir 38 annorum qvatuor diebus ſentiit dolorem fixum ſub coſtis ſpuriis utriusqve

late-

lateris cum obſtipatione alvi, tuſſi nullius momenti, cephalalgia levi, lingva erat pura & ſapor bonus; vena jam ſecta fuit; ſangvis iterum mittebatur phlogiſticus & clysma applicitum cum effectu; qvinto die repetebatur venæſectio cum ſangvine eodem, unde dolor fere evaneſcebat; inſeqventi autem nocte recruduit dolor cum enormi dyſpnoea mortem & ægro & mihi inopinatam inducente. Aperto abdomine inteſtinum jejunum videbatur aëre valde expanſum exceptis tribus parvis portionibus intermediis, qvæ inſigniter coarctatæ tranſitum fere prorſus occludebant; aliàs nullum abdominis vitium; in cavitate verò ſiniſtra thoracis aderat ſerum ſat largum ſangvinolentum; pulmo dexter ubiqve & firmiter pleuræ erat accretus & pro parte inflammatus. Probabile eſt ſubitaneam rupturam vaſis cujusdam pulmonalis indeqve factam extravaſationem & compreſſionem citæ mortis fuiſſe cauſam.

6. Fœmina 48 annorum hydrope anaſarca, aſcite & qvod ob ſummam dyspnœam ſuſpicatus fui, hydrothorace afflicta poſt decem hebdomades exſpiravit. In aperto abdomine multum ſerum limpidum, pancreas induratum, reliqva viſcera abdominis ſana; in thoracis cavitate utraqve nec non in pericardio larga copia ſeri inveniebatur.

7.

7. Juvenis 20 annorum ad nos ductus jam qvatuor diebus laborabat dolore enormi abdominis cum obſtipatione alvi, vomitu omnium ingeſtorum mox poſt aſſumtionem, pulſus erat calerrimus, extremitates frigidæ; prædixi ægroto, citam inſtare mortem, qvæ etiam poſt aliqvot horas ſupervenit. Ex aperto abdomine ſerum largum ſpiſſum fruſtula multa purulenta continens effluxit, omentum cum peritoneo & inteſtinis mediante cruſta purulenta agglutinatum atqve inflammatum imo qvoad inferiorem partem ſphaceloſum, omnia qvoqve inteſtina erant inflammata ubiqve cruſta purulenta obducta & mediante illa inter ſeſe concreta.



DECEMBER.

1. Febres putridæ qvamvis freqventes tamen benignæ erant indolis ſine notabili congeſtione ad partes corporis nobiles caput aut pectus, hinc fere omnes expurgatione convenienti primarum viarum ſanabantur; qvidam diarrhœa ſub hoc morbo nimia & nimis protracta detentus exhibito pulvere radicis gei urbani ſe melius habuit, ideoqve illius uſu continuato reſtitutus fuit; e 57 ægrotis qva-

tuor moriebantur, duo ob enormem debilitatem, tertius apoplexia tactus, qvartus ob metastasin ad pectus lethalem.

2. Ob enormem & singularem symptomatum vehementiam seqventem casum mentione dignum puto. Vir 48 annorum post potum frigidum incalescente corpore haustum mox corripitur febre continua cum frigore & æstu secum invicem alternantibus, dolore cardiæ & hypochondrii dextri attactum haud ferente, tussi nonnulla vomitu qvandoqve viridi, cephalalgia insigni, delirio fugaci, debilitate notabili, alvo parum laxa, tam symptomata qvam causam morbi perpendens nil magis qvam inflammationem hepatis suspicabar, missus ideo fuit sangvis, qvi prorsus resolutus inveniebatur cum crusta gelatinosa & mixturam camphoratam exhibui, die 6to nox prægressa insomnis cum alvo bis aperta, delirium continuat, circa meridiem vomitus viridis iterum adest, alvus bis liqvide fluit, sangvis mittitur idem ac die præcedenti, & vesicatorium loco dolenti applicatur; die 7mo status ægroti idem, delirium fortius, pulsus admodum celer, hirudines temporibus admoventur; die 8vo nox prægressa admodum inqvieta cum excrementis liqvidis in lecto, invenimus hoc mane ægrotum immobilem, loqvi non valentem pallidum cum facie collapsa, sudore pingvi pulsu debilissimo

ce-

celerrimo, ita ut omnibus adſtantibus agonizare videretur; circa meridiem verò ſubitò ſeſe in lecto erigit & famulam acclamat; ab hoc tempore pulſus notabiliter retardatus percipiebatur, & tantum debilitas ſupererat, qvæ ſub uſu mixturæ camphoratæ cnm pauxillo moſchi brevi ſanata fuit. Absqve dubio eſt, allatam apud ægrotum noſtrum mortis imaginem pro cauſa habuiſſe turbas ſic dictas criticas, qvales autem adeò violentas haud antea obſervavi.

3. Febres nonnullæ pleuriticæ benigni moris omnes ſanationem admittentes.

4. Phthiſicus apparuit vir 40 annorum ſpiritus fortis amator dimidio anno afflictus aſtmate continuo cum voce rauca, tuſſi ſibilatoria, ſputo autem pauco mucoſo, ſub qvibus corpus valde emaciatum viresqve conſumtæ erant; nullam licet ſperans ſanationem dedi tamen tentaminis ergo ſyrupum compoſitum ex oxymellis ſcillitici, ſyrupi altheæ ana unciis duabus eſſentiæ enulæ uncia dimidia, cujus cochlearia duo minora bihorio ſumebantur, nec non juſculum ſecalinum omni mane, qvibus per ſeptem hebdomadas adhibitis prorſus reſtitutus fuit æger.

5. Puer 14 annorum decem hebdomadis laboravit vomitu freqventi ingeſtorum, cui qvatuordecim diebus junctus erat ſingultus qvandoqve in lipothymiam tranſiens mo-

tibus convulſivis ſtipatam, & ſecum ducens dolorem hypochondrii ſiniſtri, ſapor erat malus, lingva pura, alvus naturalis, pulſus irregularis; nulli vermes evacuati erant, qvamvis anthelmintica adhibita fuiſſent; potu antemetico riverii citò ſedabatur vomitus, motus autem convulſivi ſæpius per diem redierunt ſimiles illis, qvos fortis electriſatio ſuſcitare ſolet; jam propinavi liqvoris cornu cervi ſuccinati guttas qvindecim bis indies, hinc motus electrici qvinqve diebus ſiluerunt, dein autem redeuntes adaucta licet doſi laudati liqvoris non minuebantur; moſchus etiam tentatus fuit verum absqve effectu; demum olei animalis dippelii guttæ ſex bis per diem dabantur, unde morbus brevi ceſſavit nec poſtea revenit.

6. Iſchiade lateris ſiniſtri cum immobilitate fere plenaria absqve fluxus menſtrui defectu qvinqve menſibus laboravit fœmina 22 annorum; mox veſicatorium dolenti loco applicitum fuit, & intus propinata ſolutio aqvoſa reſinæ gvajaci; abſoluto menſis ſpatio iſchiadi ſublevatæ ſucceſſit dolor omnium artuum & pectoris; venæſectio inſtituta pectus ſanavit, reliqvus autem dolor manebat idem & ſibi junctos habebat motus febriles, æſtum cum frigore alternantem, vertiginem, debilitatem; mixtura camphorata, veſicatoria ſuris appoſita nil boni effecerunt, reliqvis

vero

vero acceſſit oppreſſio cardiæ cum vomituritione, anorexia, ſapore malo, emeticum ideo exhibitum movit largum vomitum, qvi poſtea integro die durabat ad omnia ingeſta reveniens & demum liqvore nervino ſedatus; perſtitit tamen dolor cardiæ notabilis cum diarrhœa & æſtu vago inſigni, emulſio camphorata & inunctio olei volatilis in cardia ſine fructu adhibita fuerunt, imo poſt duos dies ſupervenit lipothymia poſt ſe relinqvens motus convulſivos mox unius mox alterius brachii ſæpe recurrentes; ſangvis nunc, qvi phlogiſticus erat, mittebatur, & moſchi orientalis granum cum ſacharo tritum omni hora propinabatur, altero die ſiluerunt ſpasmi, cardiæ itidem dolor & diarrhœa inſigniter minuebantur; periculo ita devicto repetii mixturam camphoratam ſub cujus uſu paucos intra dies rediit dolor iſchii, qvi ſub allatis & fere funeſtis turbis evanuerat, junctus jam cum tumore œedematoſo crurum, modicus adeo, ut aliis remediis antarthriticis menſis ſpatio ſanatus fuerit. Tranſitus doloris iſchiatici in deſcripta ſymptomata nervoſo-febrilia ſat probabile reddit, materiam arthriticam iſchio inhærentem vi reſinæ gvajaci ſolutam & in maſſam ſangvinis introductam fuiſſe indeqve febrem, aliaqve mala procreata; verum ipſa demum ſanatio periculoſo huic gummi gvajaci effectui adſcribenda eſt; vix enim alio

modo efficienda esset resolutio materiæ vasis tam diu impactæ.


SECTIONES:

7. Vir 30 annorum tribus circiter mensibus magis magisqve ægrotabat tussi sicca, dyspnœa insigni, qva omnis fere somnus, nec non decubitus in dorso & latere sinistro impediebatur, & demum tumore œdematoso crurum; tribus hebdomadibus in nosocomio decubuit & post varia diuretica incassum adhibita exspiravit. Apertum cadaveris abdomen serum aurantium effundebat, hepar erat voluminis solitò majoris aliàs simul cum cæteris visceribus sanum; pulmo dexter in superficie anteriore costis accretus reperiebatur, posterius verò pectoris cavitas dextra largum serum continebat, pulmo sinister ubiqve erat coloris atro-rubescentis & incisus materiem purulentam tenuem effundebat.

8. Vir 37 annorum qvinqve mensibus afflictus erat dyspnœa, tussi sicca, dolore oppressorio pectoris, decubitu in latere sinistro intolerabili; symptomata hæc sensim sensimqve increverant & post mensis spatium sibi junctam habuerunt diarrhœam haud torminosam nullis remediis neqvidem pulvere radicis gei urbani compescendam; debilitas hinc indies major surgebat demum cum scor-

bu-

butico tumore crurum, qvibus cita mors finem impoſuit. Secto abdomine ſerum aliqvale effluxit, totum omentum comparuit ſphaceloſum & lieni præternaturaliter annexum, inteſtina tenuia etiam paſſim inflammata imo gangrænoſa; glandulæ meſenterii & pancreas notabiliter indurata; in thorace ambo pulmones coſtis ubiqve & firmiter accreti videbantur, ſubſtantia totius fere pulmonis dextri erat admodum ſcirrhoſa & qvaſi carcinomatoſa, pulmo hic poſterius & inferius liber, in qvo ſpatio larga aderat copia ſeri ſangvinolenti, pericardium itidem ſerum multum limpidum includebat. Nulla eſt dubitandi ratio, qvin conſtitutio inflammatoria ſphaceloſa inteſtinorum & præſertim omenti vivente adhuc ægroto producta & præſens fuerit; cum verò nulla ſigna indicativa talis inflammationis ſub morbo exſtiterint, probabiliter concluditur, dari inflammationes abdominales, qvæ ob lentam generationem aut ob certam diſpoſitionem partium fluidarum vel ſolidarum absqve dolore aliisve ſolitis ſignis exoriri & ſummum faſtigium ad mortem usqve attingere poſſunt.



ANNUS 1783.

MENSIS JANUARIUS.

1. Febriles morbi erant indolis biliofo-putridæ, attamen benigni, nec congeftione, nec putrefcentiæ, aut debilitatis gradu periculofi. Ægrotantium, qvorum numerus 46 complectebatur, dimidia pars modico laboravit morbo, cujus materia non ultra primas vias extenfa videbatur ideoqve evacuatione fola breviqve tempore auferebatur; cæteri qvidem gravius & diuturnius decumbentes faufte evaferunt exceptis tribus, qvorum duo metaftafi ad pectus facta, tertius inexfpectata apoplexia necati fuerunt.

2. Paralyfi membrorum tam fuperiorum qvam inferiorum illæfa tamen eorum fentiendi vi poft epilepfiam aliqvoties reverfam affecta fuit puella 26 annorum rite menftruata; tantæ debilitatis plenaria tamen fuit fanatio, qvamvis ad eanden perficiendam integer annus excurreret; remedia in ufum tracta erant vefi-

veſicatoria initio membris reſolutis appoſita, aliàs liqvoris nervini guttæ triginta ter indies, cucurbitæ ſiccæ, frictio, urticatio; auxiliis diutiſſime reſiſtens erat laxitas juncturarum pedum, qva flexio eorundem impedita & ambulatio difficilis vacillans reddebatur, hunc roboris defectum ſenſim reſtaurabat frigidorum topicus uſus ſc. lavatio & inſtillatio aqvæ frigidæ nec non epithema ex aqva vegeto minerali & ſpiritu vini camphorato conjunctis paratum.

3. Hydrops & anaſarca & aſcites, dyspnœa, tuſſis ſicca in itinere maritimo contracta & ut nobis relatum fuit, ſcorbuti pediſſeqva juvenem 25 annorum jam aliqvot ſeptimanis lecto affixerant; variis diureticis nec non ſcarificatione crurum & femorum fruſtra adhibitis paracenteſis abdominis inſtituta fuit, illaqve duodecim menſuræ ſeri clari citrini eductæ, qvo facto diureſis antea nullo modo movenda ſimplici medicina ſc. aceti ſqvillitici & ſpiritus ſalis dulcis ana guttis 60 ter die ingeſtis notabiliter, & adeo augebatur, ut brevi tempore tumor omnis evanuerit, & reliqva ſanitas completa fuerit. Aliqvoties pariter ac in præſenti caſu paracenteſin inveni utilem non modo ad levandum ſed qvoqve ad curandum morbum, vel ſi mavis & forſan rectius ad viam aliis curatoriis remediis parandam, qvatenus ſic, ut certa experientia con-

 ſtat,

ſtat, ſuperfluo abdominis ſero educto urinæ fluxus complurimum liberior redditur, itaqve diureticorum vi magis obtemporans.

4. Morbus maculoſo-hæmorrhagicus in juvene 25 annorum ſeqventi modo ſeſe oſtendit: poſt 8 dies dolore genuum ſponte diminuto, mox ex ore & qvidem ut ægro videbatur e palato ſangvis merus nec fœtidus nec male ſapidus indeſinenter effluit; ſimul cum hac hæmorrhagia apparuerunt maculæ copioſæ lividæ majores petechiis, primum in locis corporis tectis, dein tertio circiter die in facie & manibus; in reliqvis ſe bene habens æger venam ſemel ſecari curaverat & ſpiritu vitrioli largiter uſus fuerat; 2do morbi die in noſocomio ſuſceptus fuit, ſub deſcripto ſtatu, pulſumqve haud celerem ſed elevatum invenimus; mox exhibui: qvod in ſimili caſu præ aliis proficuum comperi, ſc. decocti corticis peruviani uncias duodecim, ſpiritus vitrioli drachmas duas ad patellam dimidiam omni hora ſumendam, nec non aqvam frigidam ſæpius in ore tenendam; tertio die hæmorrhagia oris valde minuta, qvarto die ſangvifluxus prorſus ceſſavit & maculæ brunni coloris reddebantur; nunc decoctum modò trihorio ſumſit; die octavo maculæ disparuerunt & æger prorſus ſanatus erat.

5. Incomprehenſibilis mihi videbatur ægritudo abdominalis cujusdam fœminæ 28 an-

annorum die primo Januarii in noſocomio admiſſæ. Valetudinaria hæc tribus menſibus fuerat ob conſtantem dolorem abdominis cum alvo irregulariter fluente & vomitu freqventi; miſſo ter ſangvine aliqvatenus phlogiſtico & exhibitis partim mixtura ſalina riverii, partim camphoratis remediis ſymptomata ſenſim decreſcebant & verſus 23 Januarii fere ceſſabant; tunc ſubitò redibat vomitus omnium ingeſtorum & medicaminum cum ſingultu, pertinaci obſtipatione alvi, pulſu debili haud celeri, absqve ullo herniæ ſigno; miſſio ſangvinis, qvi phlogiſticus erat, qvantum vires permittebant, ſc. qvater repetita, linimentum volatile, cataplasma emolliens, veſicatorium ſucceſſive abdomini appoſita, varia remedia interna nec non oleum ricini, qvæ omnia mox evomuit, clysmata oleoſa ne minimam qvidem mutationem morbi produxerunt, nilominus enim vomitus tam ſpontaneus linioſus qvam ingeſtorum, ſingultus & obſtipatio alvi continuabant ad 29 Januarii, qvo per clysma oleoſum repetitum ſchybala nonnulla duriora evacuata fuerunt, nunc mulſum cereviſiæ appetiit & retinuit per duos dies, dein verò evomuit, & reliqvus ſtatus pejor reddebatur cum dolore & expanſione abdominis, invincibili obſtructione alvi & vomitu manifeſte ſtercoreô; 8vo Februarii per clysma qvidem parce aperiebatur alvus,

ve-

verum absqve ullo decremento ſymptomatum, qvæ eodem gradu permanebant ad diem 14tum Februarii, qvo alvus contra omnium medicantium ſpem & citra aliam ac naturæ opem ſolvebatur illo cum effectu, ut vomitus haud amplius ſtercoreus fuerit, cæterorum tamen ſtatus idem durabat ad 25 Februarii, dum clysma oleoſum largam alvi aperturam effecit; poſtea vomitus prorſus ceſſabat, ſenſimqve per ſola enementa oleoſa alternis diebus exhibita integra abdominis & ſanitatis reſtitutio verſus medium menſis Martii producebatur. Non fuit indoles allati morbi, qvam adeo dubiam æſtimavi, ſymptomatum enim præſentium & ſangvinis miſſi conditio vix alterius morbi qvam inflammationis inteſtinalis indicium eſſe potuit, non obſtantibus diuturnitate ægritudinis pulſuqve non febrili, utpote qvæ aliis inflammationibus qvidem aliena phenomena, in phlogoſi tamen inteſtinorum non raro obveniunt; verum mirabar & nondum comprehendo miras ſolius naturæ vires in medendo tanto morbo, cujus curabilitatem plures illuſtres medici mecum deſperabant; non qvod ars ſed qvod natura valeat, exinde deduci & ad prognoſin ſimilium caſuum inſervire poteſt.

SECTIONES:

6. Fœmina 25 annorum pluribus menſibus tuſſi dyspnœa, defectu fluxus menſtrui laborans ſedecim ultimis vitæ diebus in noſocomio decubuit, præter allata ſimul qverens dolorem cardiæ atqve hypochondrii dextri; alvus debito erat aperta, nullus aderat abdominis dolor, pulſus adeo debilis, ut ſangvis tantum ſemel miſſus & naturalis inventus fuerit. Aperto cadaveris abdomine hepar vidimus enormis magnitudinis umbilicum attingens, omnia inteſtina ab hepate magno profunde in infima ventre & cavo pelvis depreſſa, jejunum & ileum per totum fere tractum inflammata & paſſim ſphaceloſa, glandulas meſentericas induratas; in thorace ambo pulmones coſtis fere ubiqve accreti aliàs admodum rubri & tuberculis ſcirrhoſis repleti erant. Nonne inflammatoria conſtitutio inteſtinorum fuit effectus circulationis impeditæ per hepatis enormem molem? Nonne abſentia doloris ſub hac inteſtinorum affectione lente paulatimqve generatæ & increſcenti ſangvinis accumulationi adſcribi poteſt?

7. Diarrhœa habituali qvatuor menſes durante necata fuit puella 23 annorum; in aperto cadaveris abdomine glandulæ totius meſenterii induratæ inveniebantur.

8. Hepatis præſertim cardiæ dolor cum adjuncta febre apud fœminam 36 annorum initio venæſectione multiplici, camphoratis, veſicatorio parti affectæ applicito & demum inunctione mercuriali früſtra tractabatur; dolor cardiæ tamen permanebat attactum haud ferens, poſt ingeſta adauctus cum vomitu freqventi, tuſſi ſicca, tumore demum notabili partis dolentis, verſus vitæ finem extremitas inferior dextra œdematoſe tumuit, & fœtor inſignis ſub tuſſi absqve alia expectoratione provenit; poſt ſex hebdomades morbus in mortem terminatus fuit. Aperto abdomine ventriculus in regione umbilicali ſitus & peritoneo accretus erat, colon transverſum in regione hypogaſtrica & reliqva inteſtina tenuia pro maxima parte in cavitate pelvis depreſſa erant; tota ſubſtantia lobi ſiniſtri hepatis in ſaccum magnum pus continentem degenerata erat atqve inferius cum ventriculo, ſuperius cum diaphragmate agglutinata, glandulæ meſenterii erant induratæ.

9. Puerpera qvinto die poſt partum corripiebatur dolore abdominis, qvi jam qvinqve dies duraverat demum junctus cum anxietate enormi, reſpiratione admodum curta, pulſu celerrimo debili, ſub qvibus qvarta poſt introitum in noſocomium relapſa hora moriebatur. In cadaveris abdomine inteſtinum cœcum & colon aſcendens aëre ad in-

insigne volumen erant expansa & prope umbilicum sita, prima portio coli transversi etiam valde dilatata, reliqvum vero colon tam transversum qvam descendens ad diametrum digiti contracta, omentum valde pingve ad sinistrum abdominis latus translatum ibidemqve inter intestina involutum, intestina tenuia passim inflammata & ileum pro parte haud exigua sphacelatum, uterus adhuc dilatatus alias sanus. Nonne nimia omenti pingvedo occasionem præbuit dislocationi ejusdem? Et nonne hæc inæqvaliter comprimendo intestina atqve illorum vasa causa inflammationis haberi potuit?

10. Tussi sicca, dyspnœa, diarrhœa parum dolorosa qvatuordecim hebdomadis vexata & emaciata erat fœmina 45 annorum; pulvere radicis gei urbani qvodammodo sedabatur alvi fluxus, reliqva verò permanebant, augebantur cum decubitu intolerabili in dorso ad mortem usqve, qva qvintus morbi mensis terminatus fuit. Aperto abdomine largum serum aurantii coloris effundebatur, intestina tenuia passim erant inflammata; totum mesenterium obsitum erat innumeris corpusculis albidis graniformibus; hepatis lobus dexter diaphragmati accretus indeqve separatus varia corpuscula allatis similia sibi annexa habebat, in utraqve cavitate thoracis largissimum aderat serum, pericardium pvo-

qvoqve ſero plenum. Probabile eſt obſtructionem vaſorum minimorum meſenterii abſorbtioni ſangvinis & ſucci inteſtinalis obſtitiſſe, illoqve modo tam alvi fluxum qvam accumulationem inflammatoriam produxiſſe.

11. Dolor abdominis conſtans, cephalalgia vertiginoſa, ſapor malus, diarrhœa, vomitus tam ſpontaneus bilioſus qvam omnium ingeſtorum aderant in juvene 24 annorum qvi ſimul qvamvis tantum qvatriduo ægrotans, extremitates jam frigidas & pulſum vix ſenſibilem habebat; liqvoris nervini guttæ viginti bihorio porrigebantur, die qvinto vomitus & dolor abdominis minuti & alvus rarius aperta; ſeptimo die vomitus & dolor abdominis ceſſabant; die octavo gravis dolor totius dorſi invaſit pulſus jam magis elevatus, hinc miſſus fuit ſangvis in una patella prorſus reſolutus in altera denſus cum cruſta membranoſa, poſt meridiem dolor inſignis pectoris ſiniſtri cum tuſſi & dyspnœa notabili, ſangvis hinc iterum miſſus denſus cum cruſta gelatinoſa, die nono dolenti adhuc pectori veſicatorium applicitum & alvus ſegnis clysmate aperta fuit, die decimo dolor pectoris multo minor, die 12mo ſtupor notabilis, alvus laxa; porrecto pulvere radicis rhei alvi laxitas ceſſavit, debilitas verò increvit ad diem 15tum, qvo ſubitò exſpiravit. Aperto thorace & elevato ſterno magna copia materiæ puru-

purulentæ albæ densæ in conspectum venit mediastinum, pericardium, pulmonem sinistrum, qvi simul erat inflammatus, obtegens. Notabilia in hoc casu mihi videntur: 1) Tanti sphaceli tam longa sine letali effectu duratio, qvæ forsan a qvarto saltem a septimo morbi die ad decimum qvintum sc. mortis diem putari debet, utpote status intermedius inter symptomata inflammationis evanescentia & gangrænam inseqventem adesse aut cogitari neqvit; sicuti intestina præsertim inflammationis lentæ capacia sunt, nonne hoc exemplo etiam discimus, gangrænam lentam in illis esse possibilem? 2) Potentia intestinorum functiones solitas qvodammodo exercendi sc. ingesta excipiendi, retinendi & evacuandi, postqvam funesta eorum corruptio incepit, num integritas tunicæ muscularis sub destructione aliarum membranarum, qvarum functio sensus est, hujus phenomeni causa fuit? 3) Metastatica ad pectus depositio materiæ purulentæ, qvæ absqve omni dubio in vasis inflammatis abdominis generata fuit.

FEBRUARIUS.

1. Febris bilioso - putrida 51 homines afflixit; apud viginti materia morbi tan-

tum in primis viis hærens ſolis evacuantibus debellata fuit. Inter 27 gravius decumbentes ſeptem metaſtaſi ad pectus affecti attamen fauſte ſanati fuerunt: qvidam per abſceſſum prope os zygonaticum intus in ore ruptum morbo liberatus fuit; in altero febrem terminavit depoſitio ad extremitatem inferiorem ſiniſtram, in qva ſurrexit tumor notabilis demum diſſipatus poſt duos menſes per diuretica parce adhibita, ne præmature materies in ſangvinis maſſam reduceretur; qvidam diarrhoea gravi ſub progreſſu morbi laborans pulvere radicis gei urbani alternatim cum decocto chinæ cum liqvore nervino maritato juvabatur; qvatuor moriebantur, duo ob metaſtaſin ad pectus & expectorationem impeditam, tertius ut videbatur, per apoplexiam, qvartus debiliſſimus brevi poſt introitum exſpiravit. Præ cæteris memorabilis fuit juvenis 15 annorum gravi morbo cum petechiis decumbens, initio ſolitis evacuantibus purgatus & dein ſub increſcente debilitate cortice peruviano, camphora, moſcho, veſicatoriis uſus usqve ad 21mum diem, qvo melius ſe habuit, die 22do hora meridiana ſupervenit inſignis conſtrictio faucium cum impeditis deglutitione & loqvela breviter durans, die 23tio hora ſeptima veſpertina revenit paroxysmus allatus, mixtura camphorata cum moſcho, hirudines circa laryngem veſicatoria in brachiis in uſum

vo-

vocabantur, die 24to hora nona vefpertina reverfus fuit paroxysmus per horam durans, tempore intercalari fe bene habuit æger, hinc decoctum corticis peruviani largiter propinatum fuit, die 25to hora meridiana rediit paroxysmus prægreffis levior, die 27mo continuato licet cortice revenit paroxysmus hora octava vefpertina, die 28vo bis acceffit malum fc. hora meridiana nec non hora fexta vefpertina; hinc cortici fubftitui liqvoris nervini guttas qvindecim omni hora fumendas, unde reverfio mali impedita fuit. Hic in memoriam revocandi funt nonnulli cafus fimiles antea in diario noftro allati, qvorum fanatio eodem remedio producta fuit.

2. Hepatitis cum ictero apud fexagenarium venæfectione pluries inftituta, camphoratis, veficatorio dolenti loco appofito poft qvatuordecim dies notabiliter decrevit fub freqventer recurrente horrore & infeqventi fudore, unde dein regularis intermittentis febris paroxysmus binis continuis diebus & eodem tempore rediens exfurgebat, adhibitis hinc pulvere radicis rhei cum fale medio nupto, nec non decocto graminis & taraxaci & ultra menfem pro omni obftructione hepatis eradicanda continuatis, absqve regreffu febris æger prorfus convaluit. Vix alia faltem haud probabilior caufa motuum febrilium apud ægrotum noftrum cogitari poteft, qvam re-

tuta bilis ſecretio ejusdemqve excretio & irritatio in inteſtinis, qva per evacuantia ſublata ceſſavit febris; meritò igitur referenda eſt hæc ſucceſſio ad demonſtrandam vim bilis, qvatenus cauſæ materialis febrium intermittentium.

3. Fœminam hydrope anaſarca ſex hebdomadibus contracto & adaucto cum dyspnœa nec non tuſſi, qvæ inveterata tolerabilis erat cum ſputo purulento, laborantem diureſin notabiliter augendo ſanavit mixtura compoſita e cremoris tartari ſolubilis uncia, ſpiritus ſalis dulcis drachmis duabus, aqvæ petroſelini unciis ſex, cujus uncia ter per diem ſumebatur; ſub evaneſcente tumore oriebatur efflorescentia rubra ſenſim totum corpus occupans ſcarlatinæ adinſtar; undecim diebus abſolutis rubedo hæc evanuit; apud plures eundem effectum produxit uſus cremoris tartari ſolubilis; nonne inde vis reſolvens boracis deducenda eſt? Nonne laudatum remedium ob ſingularem analogiam aptum eſt ad exanthema ſcarlatinoſum revocandum vel in cute figendum, qvando vagum vel retrogreſſum periculo, qvod interdum obſervatur, ægrotos ſubjicit?

SECTIONES.

4. Fœminam 26 annorum febre continua jam octiduo laborantem cum oppreſſione me-

medii pectoris, tussi, sputo qvandoqve sangvineo, dyspnœa insigni, pulsuqve tenso curare studui qvinqvies mittendo sangvinem, qvi erat phlogisticus, camphoratis, vesicatorio in pectore; morbus tamen increvit cum intolerabili situ in dorso; & demum biduo ante mortem, qvæ diem morbi decimum octavum finivit, reliqvis symptomatibus junctus erat dolor pectoris sinistri. Aperto abdomine, cujus dolor haud adfuerat, invenimus intestina tenuia passim inflammata & glandulas mesenterii induratas; ambæ thoracis cavitates largam seri copiam continebant, pulmo sinister erat inflammatus; ventriculus cordis sinistri etiam inflammatione læsus videbatur, dexter autem crusta alba puriformi obductus. Carditidem hanc vivente ægrota me ignorasse nec qvidem suspicatum fuisse sponte profiteor, vix tamen ideo rita neglecta fuit medela, utpote qvæ magis gradui qvam sedi inflammationis accommodari debet. Collectum in pectore serum merito inflammationis effectus habendum est partim ex irritatione & constrictione vasorum resorbentium, vel forsan potius ex impedita sangvinis circulatione in vasis inflammatis, ejusdemqve ideo majori affluxu ad vasa exhalantia derivandum.

5. Vir 33 annorum sex diebus ægrotaverat frigore & æstu secum alternantibus nec non aliqvali tumore & dolore hypochondrii

dextri attactum ægre ferente atqve diarrhœa haud dolorifica qvandoqve ſangvinea, mox per venam bis eductus fuit ſangvis phlogiſticus; ſeptima autem die pulſus debiliſſimus ulteriorem venæſectionem prohibuit, atqve delirium ſuperveniens cum extremitatum frigore inutilitatem medicaminum mortemqve, qvæ nono die acceſſit, prænuntiavit. Diſſecti cadaveris hepar diaphragmati ubiqve & firmiter accretum inveniebatur, mediante membrana, qvaſi cocta craſſa & filamentis purulentis obſita; in anteriore inciſura hepatis circa ligamentum ſuſpenſorium magna copia pingvedinis denſæ aderat, extremitas inferior pulmonis dextri diaphragmati adeo firmiter adhæſit, ut vix ſeparatio eorundem poſſibilis fuerit, inflammata ſimul erat hæc pulmonis pars ut & ipſum diaphragma in utraqve ſuperficie magis qvam naturaliter rubeſcens. Num omnes inflammatæ partes hepar, diaphragma, pulmo eodem tempore ex eadem cauſa affectæ fuerunt, aut potius una primo accenſa cæteris vicinis ignem communicavit? Eodem jure ſtatuitur talis vis communicativa inflammationis in viſceribus internis ac in externis, ubi evidens experientia illam probat.

6. Vir 50 annorum tribus ſeptimanis afflictus fuerat dolore fixo ſub coſtis ſpuriis ſiniſtris attactum haud ferente cum vomitu

om-

omnium fere ingeſtorum alvoqve ſegni, ſpiritum vini, cujus amator eſſe videbatur, etiam contra hunc morbum ſed ſolitò fortius ſc. pipere contuſo mixtum adhibuerat verum cum incremento mali, pulſum deprehendi celerem tenſum; e vena aliqvoties miſſus ſangvis phlogiſticus, veſicatorium lateri applicitum & camphorata dolorem lateris tolerabilem reddebant & vomitum ſedabant, tuſſis autem ſurrexit initio ſicca dein cum ſputo partim mucoſo partim purulento, vi cujus præſertim ægroti mortem poſt morbum qvinqve hebdomadum adſcribebam. In abdomine cadaveris omentum inveniebatur valde pingve ſurſum & verſus latus ſiniſtrum retractum, ibiqve inter gyros inteſtinorum involutum; inter ventriculum & lienem aderat globus adipis firmitatem ſebi & magnitudinem ovi gallinacei habens; lien ipſe inſignis voluminis aliàs uti reliqva abdominis viſcera, ſanus; omnes coſtarum cartilagines oſſificatæ reclusioni pectoris obſtiterunt; inferioribus tamen coſtis lateris ſiniſtri violenta manu fractis digiti in hac parte pectoris perſcrutantes multum adipem circa diaphragma, aliàs nullum vitium invenerunt.

7. Vir 41 annorum ſpirituoſis valde deditus ſubitò apoplexia necabatur. Diſſecto cranio ambo ventriculi laterales & baſis cranii

largam admodum copiam seri limpidi continebant.

8. Vir 46 annorum hydrope universali aliqvot mensium tussi, dyspnæa, diarrhœa, vomitu intercurrente post varia in nosocomio per mensem adhibita remedia obiit. In abdomine demortui largum serum alias nullum vitium invenimus; cavitatem thoracis dextram implebat seri magna copia, pulmo vero infra qvartam partem solitæ magnitudinis minutus, in cavitate pectoris sinistra & pericardii similis abundantia aqvæ aderat.

9. Malo ischiatico lateris sinistri cum plenaria immobilitate articuli femoris afflictus juvenis 24 annorum initio venæsectione tripla & dein in nosocomio omni cogitabili medicina absqve levamine usus fuit, post tres circiter menses tota extremitas superior femoris æqvabiliter intumuit cum aliqvali duritie, dolor autem ipse in acetabulo potissimum hærebat, ultimo spatio bimistri simul jungebatur tussis sicca cum dyspnœa, sub qva magis magisqve corpus emaciatum, & demum cruciatus septem mensium per mortem finiti erant. Incisis musculis glutæis lateris sinistri interstitia fibrarum muscularium humore spisso qvasi gelatinoso impleta reperiebantur, transcissis dein musculis acetabulo vicinis, simul & semel magna copia ad qvatuor circiter uncias humoris initio tenuis & limpidi, dein spissi,

&

& frustis puriformibus intermixti effluebat, digito tunc articulationem perscrutanti occurrebant multæ spinæ & asperitates tam in collo & capite ossis femoris qvam in cavitate ipsa acetabuli ; in abdomine nonnullum serum extravasatum & glandulæ mesenterii solitò majores; aperto thorace cavitas ejusdem sinistra serum sangvinolentum includebat, pulmo hic totus tuberculis multis scirrhosis repletus & pro parte superiore costis accretus, pulmo dexter itidem nodosus cum costis ubiqve coalitus. Notari simul debet, ægrotum nostrum haud ab ulla violentia externa morbum contraxisse ; adeo ut soli materiæ arthriticæ vel si mavis rheumaticæ adscribenda sit non modò læsio juncturæ femoris, sed etiam probabiliter pulmonum induratio per resorptionem materiæ in femore generatæ ejusqve depositionem in pectore producta.



MARTIUS.

1. Febre bilioso-putrida 47 laborabant, mitius 21 gravius 19 ægrotantes, apud hos qvandoqve scorbutus, qvandoqve expectoratio purulenta terminationem febris constituebat. 7 moriebantur partim ob summam

debilitatem partim ob metaſtaſin ad pectus & expectorationem demum impoſſibilem; qvidam ſub gravi delirio die 15ta exſpiravit; cujus cranio diſſecto duram matrem intenſe rubram, vaſa cerebri ſangvine valde repleta & in ventriculis lateralibus inſignem qvantitatem extravaſati ſeri invenimus.

2. Febres intermittentes nonnullæ aut tertianæ aut qvotidianæ in genere ortum trahentes a febre continua bilioſa, qvæ ſponte aut poſt evacuantium uſum periodicæ reddebantur.

3. Febres peripneumoniacæ paucæ cum letali eventu apud duos, qvorum hiſtoria & ſectio infra memorandæ veniunt.

4. Hydrope anaſarca, cujus durationem qvidem longam haud verò definitam æger recordari potuit, cum tuſſi, dyspnœa, oppreſſione medii pectoris vir 49 annorum moleſtatus erat; tumorem qvinqve dierum ſpatio ſub urina & ſudore largiter fluentibus diſpulit emulſio ammoniacalis ſc. gi ammoniaci puri drachmæ duæ ſolutæ in aqvæ hysſopi unciis ſex cum oxymellis ſcillitici uncia; cujus uncia omni bihorio ſumebatur; reſtitit verò ſenſus conſtans frigoris atqve preſſorius in regione cardiæ; qvi tribus ſeptimanis debellatus & prorſus ſanatus fuit tincturæ rhei aqvoſæ, ſolutionis tartari tartariſati ana guttis 60 ter indies ſumtis, nec non omni veſpera in-

ge-

ſtis granis duodecim pillularum ad hydropicos, qvæ e ſaponis venetæ drachmis duabus, olei juniperi, pulveris ſqvillæ compoſiti ana drachma, mercurii dulcis, hermis mineralis ana drachma dimidia, balſami indici albi qv. ſ. compoſitæ ſunt.

5. Arthritide qvatuor menſium initio vaga dein fixa in juncturis manuum & malleolorum puella 21 annorum afflicta remedia multa fruſtra tentavit & demum per ſolutionem gummi gvajaci aqvoſam, cujus uncia media bihorio ſumebatur, menſis ſpatio prorſus ſanata fuit, qvamvis nulla alia excretio, qvam diureſis ſub illius remedii uſu adaucta fuerit. Alter arthriticus eandem utilitatem ex hac medicina tantum bis per diem ſumta percepit.

6. Morbus maculoſo hæmorrhagicus apud juvenem 21 annorum alterius morbi progenies fuit; utriusqve igitur tam primariæ qvam ſecundariæ ægritudinis mentio opus eſt: Die 24to Martii noſocomium advenit æger ictero jam decem diebus tinctus cum debilitate magis magisqve adaucta; hiſce triduo proximo junctus erat ſtatus febrilis initio cum frigore tranſitorio, dein cephalalgia, ſiti, anorexia, æſtu, alvus qvodammodo erat naturalis, lingva ſordida, nullus autem dolor cardiæ aut hypochondrii dextri, cremor tartari bihorio porrectus fuit; die 25to alvus laxa

cum

cum aliqvali dolore abdominis, dedi ideo tincturam rhei aqvosam omni hora alternatim cum mixtura camphorata acida; die 26 alvus minus laxa, surrexit dolor cardiæ fixus tussi & inspiratione increscens, e vena bis mittebatur sangvis densus cum crusta gelatinosa crassa, vesicatorium cardiæ dolenti applicabatur, pulsus erat celer & tensus; die 27mo phantasiæ sub somno, alvus adhuc parum laxa, urina crocea, pulsus idem, dolor parum minor in cardia, debilitas sat insignis, adhuc bis vena secta fuit, semel grumus resolutus, altera vice densus sed ambabus vicibus crusta gelatinosa tectus erat; die 28vo nox solito qvietior, dolor hepatis multo minor alvus parum laxa; die 29no noctu somnus bonus, dolor cardiæ sublatus, alvus naturalis; debilitas autem notabilis & vertigo sub situ erecto; die 30mo nil præter sitim accusabatur cum aliqvali susurru capitis, alvoqve parum segni, solus nunc dabatur cremor tartari aliqvoties per diem, atqve sanitati indies propior videbatur ægri status usqve ad diem 6tum Aprilis, qvo tussis supervenit cum sputo sangvineo, qvapropter emulsio camphorata exhibita fuit, inseqventi nocte accedit simul hæmorrhagia partim oris partim narium, die 7mo Aprilis fluxus sangvinis continuat, maculæ lividæ passim in corpore haud verò in facie apparent, nullibi adest dolor & reliqva

om-

omnia, alvus & appetitus erant naturalia, præſrcipſi decocti corticis peruviani uncias ſex, ſpiritus vitrioli drachmam, cujus patella dimidia omni hora ſumebantur, nec non diætam frigidam; die 8vo hæmorrhagia perdurat ſub motu corporis increſcens, ſemel etiam vomitus materiæ brunnæ qvaſi ſangvineæ adfuit, alvus ſegnis, qvæ pulvere rhei cum nitro ſolvebatur, epithema ex aqva frigida ſæpius capiti apponebatur; die 9no hæmorrhagia oris & naſi eadem, maculæ jam etiam in facie apparent, nunc præter decoctum allatum etiam potus omnis ſpiritu vitrioli mixtus fuit, die 10mo ſangvis adhuc ex ore & naribus fluit ſemper, uti prægreſſis diebus, fluidus nullius ſaporis aut odoris, alvus aperta, die 11mo noctu ſomnus bonus, hæmorrhagia prorſus ſilet; die 12mo ſtatus idem, maculæ jam brunnæ fiunt; poſthæc decoctum corticis trihorio tantum ingeſtum fuit, ſub cujus uſu maculæ ſenſim diſparuerunt, vires & caro prorſus deperditæ magis magisqve reſtitutæ fuerunt & faciei color pallido flaveſcens naturalis redditus, ita ut die 26 Aprilis ſanatus æger noſocomio valedixerit. Cujusnam indolis cenſenda eſt cauſa ſingularis hujus & aliàs rari maculoſi morbi? Nimius ſangvinis impetus oſcula vaſorum dilatans & aperiens propter abſentiam febris accuſari neqvit; nec enormis ſolidorum laxitas ſub reliqvis ſanitatis func-

functionibus tam bene procedentibus pro origine mali habenda eſt; vis igitur ſangvinem diſſolvens ejusqve grumoſam partem aqvoſo principio intermiſcens, tanqvam unica efficiens ratio cogitari poteſt, eſſentialialiter tamen diverſa ab illa ſangvinis conditione, qvæ in ſcorbuto & febre putrida attenuationem efficit, utpote plurima horum morborum ſymptomata cachexiam hæmorrhagicam non comitantur; eatenus tamen conveniunt ut eidem remedio cedant ſc. decocto corticis peruviani cum ſpiritu vitrioli maritato, qvod fere ſpecificum in noſtro morbo, cito & certo curans, nuncupare audeo.

SECTIONES.

7. Febre peripneumoniaca graviſſima cum oppreſſione totius pectoris & cardiæ, decubitu intolerabili in dorſo, diarrhoea, vomitu freqventi, debilitate, pulſu depreſſo, delirio intercurrente vir 26 annorum tertio poſt ingreſſum in noſocomium & nono morbi die ſuffocatus fuit. In abdomine cadaveris inteſtina tenuia & cœcum flatu valde diſtenta, colon verò per totum tractum ad dimidium naturalis voluminis & qvibusdam in locis calami ſcriptorii contractum inveniebantur, in reliqvis nullum vitium, thoracis autem cavitas ſiniſtra continuit inſignem

qvan-

qvantitatem ſeri turbidi fruſtis purulentis mixti, pulmo ipſe ſiniſter erat parvus in univerſum inflammatus & ubiqve cruſta purulenta craſſa obductus.

8. Alter ſub ſimili morbo qvinqve diebus patiebatur dolorem partim pungentem & oppreſſorium totius pectoris ſiniſtri cum inſigni dyspnœa, tuſſi ſicca, raucedine, bis jam vena ſecta fuerat, dein qvater tuſa, camphorata intus præterea & veſicatorium dolenti loco applicita fuerunt; die 14to tuſſis reddebatur humida cum ſputo purulento, qvalis expectoratio mox facilior mox difficilior cum alvo qvodammodo laxa, urina parca ſtrangurioſa, imo aliqvoties impedita ad diem 25tum morte terminabatur. Aperti pectoris cavitas ſiniſtra largiſſimum ſerum turbidum fruſtis purulentis mixtum effundebat, pulmo ipſe ultra dimidiam partem pure erat conſumtus, atqve eodem qvoad ſuperficiem externam ubiqve obductus, in abdomine recluſo veſicæ urinariæ loco aderat corpuſculum flaccidum dimidiam magnitudinem uteri virginei vix habens, aliàs nullum in hac cavitate vitium. An contractio enormis veſicæ adſcribenda eſt nimiæ acrimoniæ urinæ, qvæ a ſangvine per pus reſorbtum corrupto derivari poteſt?

9. Hemiplexia lateris ſiniſtri trium hebdomadum affectus vir 48 annorum adhuc octo diebus vixit, ſed prorſus mutus, ſoporeqve con-

continuo oppressus, & demum subito exspiravit. Sub dissectione cranii, qva dura mater improvisò lædebatur, magna copia sangvinis pro parte grumosi effluebat, ablata dura matre inter hanc & piam memingem, qvatenus hemisphærium dextrum obtegit, notabilis copia sangvinis coagulati in conspectum venit, remota etiam pia matre hemisphærium ipsum apparuit insigniter qvasi integra manu pressum imo parumper concavatum; serum præterea nonnullum in ventriculis lateralibus & basi cranii aderat. Probabile est qvantitatem extravasati sangvinis initio minorem tantum hemiplexiam produxisse, dein vero adauctam pro effectu soporem & demum æternum somnum habuisse.


10. Vir 55 annorum sub transportatione in nosocomium delirio correptus fuit, adeo ut nil de morbo præter dolorem infra costas lateris dextri relatum fuerit; altero die demortui abdomen perlustratum fuit & in conspectum venit in regione lumbari sinistra tumor cysticus albus elasticus ad magnitudinam capitis neonati, basi lata gaudens, & mesenterio affixus, membrana hujus tumoris extima erat crassa compacta & qvasi duplex, in illius cavo continebantur partim serum, partim aliæ membranæ minores in sero libere fluctuantes crassæ variæ magnitudinis & naturæ, qvædam gelatinosæ, aliæ cartilagineæ indo-

lis

lis nec non minores cyſtides, omnia inteſtina modo haud deſcribendo erant dislocata & ob coalitionem plurium vel pauciorum gyrorum in varia glomera diſtributa. In hepate multa tubercula ſteatomatoſa qvædam notabilis magnitudinis.

11. Vir 33 annorum tribus ſeptimanis afflictus erat paraplexia ſc. paralyſi extremitutum inferiorum, qvæ initium ceperat a dolore ſub coſtis ſpuriis ſiniſtris, hunc exceperat dolor obtuſus lumborum, ſub qvo æger animadverterat vires extremitatum magis magisqve & jam adeo diminutas, ut easdem prorſus movere neqviret, integra tamen manente ſentiendi vi, alvus & urina inſcio ægroto fluunt, qvandoqve ſenſus conſtrictorius abdominis ſupervenit, qvi juxta perceptionem ægroti deſcendendo in crura diſſipari ſolet; ſub hoc allato ſtatu adhuc tribus ſeptimanis in noſocomio vixit æger venæſectione aliqvoties & variis contra paralyſin congruis remediis uſus, alvus non niſi laxantibus ſolvebatur, urina nunqvam ſponte fluens ſed ſemper cathetere educta partim ſangvine partim pure mixta fuit, vires & maſſa corporis indies conſumebantur & ultimis vitæ diebus abdomen moleſte dolebat. Cadaveris abdomine examinato ſuperficies hepatis concava livida apparuit, reliqva viſcera naturalia præter veſicam urinariam, qvæ extus nigreſcens

continuit multam urinam ſangvineam, e craſſis admodum tunicis compoſita erat & qvoad ſuperficiem internam exulcerata & purè obſita videbatur; ſpina vertebrarum ſollicite inqviſita nil præternaturale habuit ni exciperem primam lumborum vertebram, cujus corpus debito magis compreſſum & concavum apparuit.



A P R I L I S.

1. Febre bilioſo-putrida 54 ægrotabant, pauci circiter 15 leviori morbo evacuantibus ſanato, 30 autem graviter decubuerunt multi metaſtaſin ad pectus cum ſputo purulento paſſi tardeqve ſanati; novem autem graviſſime afflicti moriebantur, horum qvatuor jamjam ſub introitu in noſocomium ad ſummum morbi faſtigium absqve ſui conſcientia provecti paucis diebus interibant, apud cæteros infauſta metaſtaſis vitam finivit; tribus nempe ſub progreſſu morbi & dum ille decreſcens apparebat, ſupervenit ſputum ſangvineum largum apud duos aptiſſimis remediis non inhibendum, ſed funeſtum; in tertio qvidem ſuppreſſum ſuperſtite autem tuſſi ſicca, ſub qva æger placide moriebatur. Juvenis 23 an-

annorum qvinqve diebus ægrotabat tam ſolitis ſymptomatibus putridis, qvam tumore phlegmonoſo ſat lato circa claviculam ſiniſtram, qvapropter vena ſemel erat ſecta; mox hirudines tumori applicabantur, 6to die emeticum cum largo effectu propinatum fuit, eodem die parotis dextra intumuit, die 7mo laxans exhibitum fuit cum largo effectu, parotis notabiliter increvit, ibidemqve hirudines apponebantur; die octavo phlegmone pectoris evanuerat, jam ſimul tumeſcebat parotis ſiniſtra, cui etiam hirudines applicabantur, præterea inunctio diligens per oleum volatile inſtituebatur in utraqve parotide & veſicatorium magnum inter ſcapulas affigebatur, intus mixtura e moſcho & camphora parata exhibebatur; notandum ſimul eſt, urinam initio morbi turbidam craſſam ſub allata ineunte metaſtaſi claram fuiſſe; die 10mo parotides notabiliter increverunt cum pulſu celeri debili & ſudore frigido, jam decoctum chinæ cum elixirio vitrioli & mixtura ſupra allata alternatim ſumebantur; die 12mo parotidibus diſſipationi prorſus obſtantibus cataplasma emolliens applicabatur, urina manebat clara, alvus ſemper clysmáte vel eccoproticis remediis bene aperta tenebatur; die 15to tumor parotidum mollior inciſus pus largum effudit, ſimilis verò materia per nares & ex pectore per tuſſim effluxit, jungebantur dein dolor dorſi, ſingultus, ſpu-

tum ſangvineum, urina ſemper clara, debilitas enormis, ſub qvibus die 19no placida advenit mors; nobis ſimul relatum fuit, ægrotum menſis circiter ſpatio ante aggreſſum hujus morbi ſcabiem externis mediis retropuliſſe; probabile eſt, materiam ſcabioſam phlegmonoſi tumoris fuiſſe ſcauſam & dein vi ſingularis genii putridæ febris ad parotides directam illarumqve provocaſſe abſceſſum, qvi aliàs in acutis morbis qvatalibus haud adeo cito exſurgit. Apud alterum ægrotum graviſſimus morbus die 21mo decreſcere videbatur ſub accedentibus dolore brachii dextri & tumore œdematoſo crurum maculis lividis notato, die 24to ſimul parumper intumuit parotis ſiniſtra & largus ſudor adfuit poſt aliqvot horas ceſſans, die 25to ſudor idem paulo ſerius qvam prægreſſo die recurrebat, parotis ſponte decreſcebat. Decoctum corticis peruviani largiſſime ingerebatur, die 26 tumor tam parotidis qvam crurum prorſus diſparebat, abdomen notabiliter expandebatur, ſudor uti præcedente die ſed ſerius redibat & continuabat cum inſigni ſtupore, ignorantia ſui ipſius, motibus convulſivis brachiorum & labiorum, pulſu celeri molli elevato usqve ad 28vum diem morte terminatum. Propulſus in allato caſu hoſtis duplicatis rediit viribus, & victoriam reportavit, materia morbifica e maſſa ſangvinis ſeparata & ad loca minus no-

bilia

bilia fugata attamen forſan,, qvia ſibi haud ſatis apta depoſitionis receptacula invenit, vel qvia natura debilis ad complendam expulſionem haud ſuffecit, priſtinam repetiit ſedem & interiorum deſtructionem produxit.

2. Febres intermittentes nonnullæ; qvidam præter qvotidianam etiam diarrhœa & tuſſi phthiſica laborans fruſtra adhibito cortice peruviano per pulverem radicis gei urbani, qvantum potis erat ſc. excepta tuſſi conſveta tolerabili, ſanabatur.

3. Tremore omnium artuum atqve dolore vago per dimidium amnum afflictus erat miles 43 annorum cum facie tumida rubeſcenti, per aliqvod tempus cæteris juncta fuerunt dolor vagus pectoris & capitis nec non dyspnœa. Pro origine morbi arthriticam judicavi materiem ipſis nervis inhærentem, ideoqve medicationis opus fore fomitis nocivi ſufficientem propulſionem & derivationem ad corporis externas partes; veſicatoria ſuris applicita fuerunt, indeqve orta ſuppuratio per ungventum baſilicum pulvere cantharidum commiſtum qvatuordecim diebus ſuſtentata, intus autem mixtura camphorata exhibita, qvorum virtute æger prorſus ſanabatur.

4. Diarrhœa non torminoſa qvatuor menſium cum tuſſi initio ſicca dein & jam pus expectorante, appetitu bono, corpore tamen valde

emaciato, voce clara, pulſu haud celeri, nullo adhuc ſudore nocturno in viro 25 annorum debellata fuit pulvere radicis gei urbani ad cochleare minus bihorio porrecto; qvinqve elapſis diebus diarrhœa ceſſabat ſuperſtite tuſſi, cujus gratia juſculum ſecalinum omni mane & ad præcavendam diarrhœam pulvis gei ter indies præbebantur, itaqve poſt tres hebdomades nos ſanus reliqvit æger.

5. E doloribus arthriticis ortam & partim cum iisdem adhuc nexam notabilem jam bimeſtrem dyspnœam cum vomituritione vel vomitu freqventi, tumore œdematoſo crurum, facie cachectica, alvo ſegni, defectu fluxus menſtrui in puella viginti & qvod excurrit, annos nata oppugnavi ſolutione reſinæ gvajaci aqvoſa ad cochleare majus trihorio; nec alvus, nec urina nec ſudor ultra modum naturalem augebantur, attamen omnia morbi ſymptomata ſenſim decreverunt & ſpatio duorum menſium reſtitutio fuit completa.

SECTIONES:

6. Diarrhœa torminoſa qvatuordecim dierum initio cum excretione ſangvinis dein absqve illa in viro 37 annorum ſextiduo juncta erat cum vomitu tam ſpontaneo bilioſo qvam omnium ingeſtorum, ſapore malo,

do-

dolore cardiæ; ob ſummam pulſus debilitatem tantum ſemel miſſus fuit ſangvis, qvi naturalis erat, aliàs tinctura rhei aqvoſa alternatim cum emulſione camphorata exhibita fuit, ſymptomata tamen permanebant, ut & vomitus freqvens virideſcentis bilis, die 18vo ſingultus acceſſit cum inſeqventi morte. Aperto cadaveris abdomine inteſtina tenuia inflammatione & paſſim ſphacelo correpta inveniebantur, glandulæ meſenterii induratæ, bilis larga veſicam replens & vicina viſcera tingens, pylorus ſolitò craſſior. Non immerito adundantiæ bilis adſcribitur enormis inteſtinorum irritatio, indeqve producta vomitus bilioſus, fluxus alvi dyſentericus, inflammatio, ſphacelus, mors.

7. Dolor abdominis fixus mox poſt potum frigidum multum, incaleſcente corpore hauſtum in viro 32 annorum ortus jam ſeptem dies duraverat, & magis magisqve increverat junctus initio cum diarrhoea dein evaneſcente, aliàs difficili urinæ fluxu, intercurrente vomitu, pulſu celeri tenſo, modò ſemel venam ſecàverat; mox ſangvis bis mittebatur, inſeqventi ſc. 8vo morbi die ſtatus manebat idem, urinæ fluxus impediebatur, & ſumma ſuperveniens dyspnoea vitæ finem imponebat. Recluſo abdomine cadaveris inteſtinum ileum paſſim contractum apparuit,

ſtinum rectum & S romanum peritoneo & veſicæ urinariæ accreta poſt ſeparationem colorem rubrum & tunicas valde craſſas habere videbantur; veſica urinaria admodum exigua e tunicis valde craſſis compoſita, totum hepar inflammatum maculis albis purulentis copioſiſſimis notatum, imprimis lobus ſiniſter, cujus ſubſtantia inciſa ſimiles maculas monſtrabat. Conſtitutio allata hepatis luculenter mihi videtur demonſtrare terminationem inflammationis per exſudationem & mediante hac in ſuppurationem completam, maculæ enim purulentæ tam in ſuperficie qvam in ſubſtantia hepatis conſpectæ meritò haberi poſſunt pro exſudante materia, qvæ tractu temporis, ni gradus morbi mortem acceleraverat, ſolutionem & colliqvationem viſceris ſenſim majorem & demum maſſam puris notabilem efficeret.

8. Cephalalgiam jam aliqvot hebdomadum a tractu aëris frigidi, cui communiter propter officium ſuum expoſitus fuerat, ſurrexiſſe credidit æger 28 annos natus; dolor hic vagus mox unam mox alteram capitis partem, imprimis tamen diutiſſimeqve mediam frontem occupabat; octiduo exacerbatum malum debilitatem paralyticam extremitatum lateris ſiniſtri, nec non levem & inconſtantem aberrationem mentis ſecum duxit; venæ

ſectio

ſectio jam aliqvoties inſtituta & veſicatoria in brachiis cum diu continuata ſuppuratione nullum levamen adtulerant. Ita ſe habens æger die 27 Aprilis in noſocomio ſuſceptus fuit; evacuantia jam, derivantia, antarthritica remedia rationali ordine, indefeſſo & ſollicite ſuppeditabam; venæſectio freqvens, hirudines pluries temporibus appoſitæ, cucurbitæ cruentæ in nucha & dorſo, arteriotomia temporalis, pediluvia, epithema frigidum capiti, veſicatoria tam artubus qvam calvariæ deraſæ applicita, demum fonticuli brachiis & ſetaceum nuchæ, intus moſchus, camphora, flores arnicæ, gummi gvajacum, laxantia efficacia cæteris remediis crebro interpolata, omnia verò incaſſum uſitabantur; dolor potius ingraveſcebat conſtantior in regione frontis & temporum, junctusqve cum vertigine ſenſim majore, & gravitate capitis demum tanta, ut illud propria ægroti vi erectum teneri neqveat; ratio qvoqve crebrius & memoria præſertim vacillabat; die 20mo Junii ſuperveniens inſultus apoplecticus ſtatum ægri reddebat pejorem, ita ut poſthac vomitus freqvens advenerit cum excrementis involuntariis, viſu utriusqve oculi obſcurato & dein prorſus deperdito, nec non freqventi convulſione extremitatum lateris dextri; die 27mo Julii reverſa apoplexia ægrotum e vivis ſuſtulit. Cerebri perluſtrati vaſa ſangvine

valde turgida inveniebantur; in utroqve ventriculo laterali ferum multum fangvinolentum, & præterea in finiftro abfceffus pofteriorem partem cerebri occupans pus manifeftum effundens; in ventriculo autem dextro etiam abfceffus plus fangvinis grumofi qvam puris continens ipfum thalamum nervorum opticorum hujus lateris pro maxima parte confumferat; crifta galli fc. prominentia interna cranii os frontis dividens folitô major & admodum acuta tangebatur. An prima origo hujus morbi habenda eft materia arthritica five perfpirabilis fuppreffa, qvæ intimas cerebri partes petiit, eosdemqve irritando inflammavit? Cum hac fententia ftare videtur penetrabilis materiæ arthriticæ indoles aliis multis fat probata exemplis; utrum dolor externis capitis effectus fuit potentiæ nocivæ ipfis dolentibus partibus inhærentis, an potius fympathica paffio producta e læfione originis nervorum in encephalo? Saltem in progreffu morbi pofterior caufa locum habuiffe mihi videtur, partim qvia remedia in arthritide capitis efficaciffima & vix unqvam fallentia apud noftrum ægrotum neqvidem levamen doloris adtulerunt, partim qvia alii cafus fimilem nexum inter affectionem internam cerebri & dolorem externum capitis me docuerunt.

MA-

MAJUS.

1. Febre biliofo-putrida 40 ægrotabant, 17 modico, 21 majori, 4 funefto gradu, qvidam ob metaftafin ad caput cum tumore parotidis & fluxu auris purulento, duo ob metaftafin ad pectus cum fputo puris fœtidi & morte hectica, qvartus ob ulcus metaftaticum femoris demum fphacelum nullò modo corrigendum fecum ducens obierunt.

2. Febres intermittentes nonnullæ partim tertianæ partim qvotidianæ. Qvidam loco & tempore febris folam vertiginem passus poft fumtum emeticum cortice peruviano fanabatur. Vir 35 annorum qvotidiana feptem hebdomadum afflictus ter fpiritum frumenti pipere contufo mixtum fruftra adhibuerat, dein confumferat uncias duas pulveris radicis gei urbani; febris hinc parum decreverat, verum fimul ortus erat tumor dolens hypochondrii dextri jam tribus feptimanis durans cum tumore œdematofo crurum & femorum, dyspnœa, facie tumida cachectica; primò ad noxia qvævis ingefta educenda laxans exhibui, dein ad effectum ingeftorum fc. infarctum hepatis, qvem me-

ritò

ritò ſuſpicabar, tollendum præſcripſi decoctum radicis graminis & taraxaci nec non tincturam rhei aqvoſam cum ſolutione tartari tartariſati nuptam; hiſce per tres ſeptimanas adhibitis tumor corporis & dolor hypochóndrii notabiliter minuebantur, febris autem pergebat, medicinæ reſolventi nunc ſubſtitui pulverem corticis peruviani, cujus unciæ ſalis ammoniaci drachmæ duæ & radicis rhei drachma apponebantur, qvi febre licet fugata adhuc per qvatuordecim dies ad reverſum illius præcavendum ſumebatur, verùm perſtitit nonnullus tumor & durities hepatis cum intercurrente illius dolore & œdemate crurum, igitur prophylaxi febris abſoluta deobſtruentia validiora repetere innoxium & conſultum duxi, e novo tinctura rhei ſupra allata, nec non pillulæ ad hydropicos ad grana duodecim omni veſpera atqve tenuis inunctio affecti hypochondrii per ungventum neapolitanum ſemel per diem in uſum vocabantur. Menſis ſpatio adminiſtrata hæc medela ægrotum reſtituebat, ſub illa qvidem aliqvot leves paroxyſmi qvartanæ adfuerunt, qvi tamen nilominus continuatis dictis reſolventibus evanuerunt.

3. Hydropis ad primum aſpectum periculoſiſſimi tamen fauſta fuit curatio in puella 23 annorum, qvæ poſt ſtatum valetudinarium

ſe-

ſemeſtrem cum dolore artuum & defectu fluxus menſtrui afflicta fuit tumore œdematoſo omnium artuum, faciei, & abdominis per qvatuordecim dies durante & inſigniter adaucto cum tuſſi ſicca tantaqve dysqnœa, ut ſitum horizontalem prorſus haud ſufferre & difficulter loqvi potuerit. In rerum tanta anguſtia tanqvam validiſſimum diureticum exhibui mixturam e cremoris tartari ſolubilis uncia, aqvæ petroſelini unciis ſex, ſpiritus ſalis dulcis drachmis duabus compoſitam ad unciam ter qvaterve indies; alvo verò mox admodum laxa reddita & diureſi non promota, loco mixturæ ſpiritum ſalis dulcem ſolum propinavi & veſicatoria ſuris appoſui reſpectu ſc. habito ad dolores arthriticos prægreſſos, alvus hinc poſt aliqvot dies naturalis reddebatur, qvapropter mixturam ſupra laudatam repetii ſimul cum linctu e mucilagine gummi arabici & oxymelle ſcillitico ad levandam tuſſim. Diureſis nunc ſtatim poſt effectum veſicatoriorum parumper adaucta notabiliter promovebatur cum inſigni decremento dyspnœæ atqve tumoris, adeo ut conditio hepatis antea ob craſſitiem integumentorum haud detegenda jam explorari ejusqve intumeſcentia ab attactu dolens percipi poſſet; devicto igitur periculo e ſeri abundantia, radicali medelæ per reſolventia ſimul ac evacuationi convenienti adverti animum, præſcribens

tinc-

tincturam rhei aqvoſam, ſolutioni tartari tartariſati admixtam ter indies, pillulas ad hydropicos ſc. grana decem omni veſpera, nec non linctum allatum & oleum volatile tumenti hepati inungendum; qvatuor ita ſeptimanis ab introitu in noſocomium elapſis hydropicus tumor ubiqve evanuit & ægra extra lectum ſe tenere & ambulare potuit; tuſſis autem moleſtior ſecum ducebat ſputum ſangvinis & aliqvalem pectoris dolorem, ad qvæ tollenda tanqvam maximi monenti mala cæteris ſepoſitis venæſectio, emulſio camphorata, juſculum ſecalinum in uſum trahebantur, felici exinde abſoluto effectu iterum pro ſuperſtite oppreſſione cardiæ eradicanda ſupra laudata tinctura & pillulæ repetebantur, qvibus morbus hic graviſſimus trimeſtris in plenariam ſanitatem finiebatur.

4. Cephalalgia per integrum annum ſæpius & irregulariter juvenem 24 annorum moleſtaverat, prænuntium ſolitum habens appetitum debito majorem; triduo, anteqvam ad nos venit, pejus redditum fuit hoc malum cum vertigine fere caduca nec non dolore tenſivo manuum & pectoris, pulſus non erat febrilis, & reliqvæ ſanitatis functiones naturales; a die introitus 15to Maji ad 12mum Junii tentabantur venæ ſectio aliqvoties inſtituta ſangvinem ſemper naturalem mon-

ſtrans,

ſtrans, ſangviſugium temqorale per hirudines pluries repetitum arteriotomia temporalis, ſuppuratio per veſicatoria tam in nucha qvam brachiis diu ſuſtentata, epithema frigidum capiti, pediluvia; intus autem emetica laxantia, moſchus, camphora, nitrum, imo qvia dolor qvandoqve notabiliter remittebat, cortex peruvianus tanqvam in intermittentibus; ſub hiſce tamen capitis dolor ad gradum ſummum increſcebat fere fixus in utraqve regione ſupraorbitali cum viſu obnubilato; demum capiti toti deraſo applicitum fuit veſicatorium, poſt cujus effectum pertinax morbus prorſus tollebatur.

SECTIONES:

5. Tuſſi phtiſica diu vexatus & conſumtus vir 40 annorum ſubitò ſub dolore pectoris ſiniſtri & levi convulſione exſpiravit. Thorace cadaveris recluſo cavitas ejusdem ſiniſtra ſangvine extravaſato coagulato prorſus plena inveniebatur, & ipſius pulmonis modò exigua pars non conſumta ſupererat. In hoc caſu ſuppuratio phthiſica mediante ſolutione & ruptura vaſis majoris produxerat in ipſo cavo pectoris funeſtam ſangvinis effuſionem, qvæ aliàs crebrius per tracheam & ſub ſputo ſeſe exſerit.

6.

6. Febrem tertianam trium hebdomadum bibendo juxta consilium vetulæ propriam urinam, indeqve citatum vomitum fugabat puella 19 annorm, postea vero surrexit dolor artuum tam superiorum qvam inferiorum jam 14 diebus durans cum tumore œdematoso crurum, alvus, appetitus, lingva erant naturales; per cremorem tartari sat brevi tempore tumor sublatus fuit superstite dolore artuum imprimis brachii dextri; die 19no Junii accessit dolor pectoris dextri, qvi instituta licet freqventi venæsectione; adhibitis camphoratis & vesicatorio tamen perstitit eodem gradu ad 30mum Junii, qvo simul supervenit insignis & angens pectoris oppressio & ægrotam die 1mo Julii suffocans. Perlustrato cadaveris pectore pulmo dexter inveniebatur costis dextris accretus atqve integer in saccum pure tenui flavescenti plenum eo usqve transmutatus, ut nullum aliud illius vestigium præter membranam continentem superesset; cavitas pectoris sinistra nonnullum serum continebat, sed pulmo ipse sanus erat; in cavitate abdominis præter serum aliqvale effusum nullum aderat vitium. Non raro vidi intermittentes febres finitas per œdema crurum metastaticum, qvod sponte vel remediis cito nimis fugatum febrem regeneravit, probabile est, similem materiam in nostra ægrota ab artubus ad pectus conversam

tam

tam ſeri collecti, qvam inflammationis, illamqve ſecutæ celeris & copioſæ ſuppurationis fuiſſe cauſam.

7. Cephalalgia conſtans præſertim frontalis & occipitalis ſex hebdomadum ſpatio virum qvadragenarium moleſtaverat nuperqve ſibi junctos habuit vomitum & ſingultum freqventem, alvus ſemper fuerat ſegnis, ægrum præterea invenimus valde ſtupidum ſui ipſius haud conſcium, ejusqve ſomnum debito longiorem & profundiorem; laxantia fortiora, hirudines temporales, veſicatoria nullius fuerunt effectus, ſomnus citò increvit in verum lethargum cum pulſu tardo, excrementisqve involuntariis, qvi die 12mo poſt introitum in noſocomium morte terminabatur. Aperto cranio demortui in tota circumferentia utriusqve hemiſphærii cerebri invenimus multum ſangvinem extravaſatum condenſatum inter piam & duram matrem, prior itidem rubedine per deterſionem non auferenda erat tincta; in utroqve hemiſphærio notabilis impreſſio a dicto extravaſato producta comparuit; vaſa cerebri ubiqve ſangvine repletiſſima conſpiciebantur, ventriticuli ſero multo abundabant. Ab uxore demortui mihi qvoqve relatum fuit, morbum hunc poſt vehementem corporis motum & incaleſcentiam ſurrexiſſe, poſteaqve magis

magisqve increviſſe; probabile eſt, ſtatim ſub allata cauſa factam fuiſſe rupturam vaſculi prope cerebrum ſangviferi, unde ſangvis effluxerat ſenſim, tantaqve copia adauctus, ut per gradus diſtenſionis & preſſionis dolorem, ſomnum lethargum & demum ipſam mortem intuliſſet.

8. Poſt nonnullos epilepſiæ inſultus puella decem annorum reddebatur fatua cum paralyſi extremitatum lateris ſiniſtri; trimeſtri ſpatio varia tentavit remedia attamen ſtupida manens, qvandoqve epileptica, ſæpe dolorem gravem capitis incuſans, excrementa ſemper inoluntario dejiciens, appetitu enormi gaudens, cum alvo ſegni & expanſo abdomine, & demum delirans moriebatur. Perluſtrato cadaveris cranio ventriculus lateralis ſiniſter inſigni copia ſeri clari erat repleta, in cæteris nullum ſerum, nec aliud cerebri vitium, nec in pectore aliqvid præter naturam invenimus; in abdomine convexa hepatis ſuperficies diaphragmati ubiqve erat accreta, omnia inteſtina aëre valde expanſa, glandulæ meſenterii induratæ. Qvoad originem morbi indicatum fuit, matrem demortuæ multo crudo indigeſtibili victu ſemper filiam ſuam repleviſſe, nonne exinde derivare licet appetitum ingentem tanqvam conſvetudinis effectum, induratas meſenterii glandulas chylo craſſo ob-

obſtructas, expanſa inteſtina per repletionem & dilatationem continuam vi contractili magis magisqve orbata, coalitum hepatis enormi inteſtinorum volumine nimis & continuo ad diaphragma appreſſi, epilepſiam, qvæ non raro apud infantes a repletione nimia exoritur; ex hac autem læſio ipſius cerebri, fatuitas, extravaſatio ſeri demum letalis probabiliter ſurrexerunt, nec dubitandum eſt ſub abſentia alterius cauſæ, qvin colluvies ſerosa ventriculi ſiniſtri cerebri paralyſin ſiniſtri lateris generaverit, qvamvis in plurimis læſio in uno cerebri latere effectum ſuum in oppoſito corporis latere exſerat.

JUNIUS.

1. Febres putridæ haud crebræ ſed eo gravioris momenti erant; 35 ægrotantium tantum ſeptem modice laborabant, viginti unus periculoſe decumbebant, plurimi non per criſin ſervati ſed difficulter per metaſtaſim variam partim ad pectus cum expectoratione pulenta, partim ad fauces cum aphtis copioſis, partim ad corporis partes externas cum abſceſſibus & exulceratione lumborum; qvidam ſimul cum putrida febre patiebatur hepatiti-

dem, qvæ venæsectione initio ter instituta tollebatur, superstes dein putrida febris solitis illi accommodatis remediis tractatus post longam durationem expectoratione critica sanabatur; septem moriebantur, qvidam ob parotidem duplicem, alter ob metastasin ad hepar, tertia ob depositionem similem ad pectus, reliqvi sub enormi & invincibili stupore atqve delirio probabiliter ob conversionem materiæ morbificæ ad ipsum encephalum.

2. Obstructione lobi minoris hepatis sc. dolore pressorio regionis cardiæ post ingestos cibos adaucto per dimidium annum laboraverat, intereaqve valde emaciata fuerat fœmina 40 circiter annorum; durities affecti loci, cum ad nos venit ægrota, notabilis & perceptibilis erat, alvus tamen qvodammodo naturalis; tincturæ rhei aqvosæ solutionis tartari tartarisati ana guttæ 60 ter indies sumtæ, pillulæ e saponis venetæ, gummi ammoniaci puri, extracti cicutæ ana confectæ ad grana qvindecim mane & vespera ingestæ, nec non ungventum neapolitanum omni vespera cardiæ illitum trium hebdomadum spatio ægrotam restituebant.

3. Dolore fixo sub costis spuriis sinistris versus cardiam ab attactu increscente, nec

non

non intercurrente ſingultu, & alvo liqvida octo jam diebus vir 38 annorum laboraverat intereaqve nullam medelam adhibuerat, pulſus erat fortis, nonnulla tuſſis nuper acceſſerat; poſt ſangvinem phlogiſticum ſepties miſſum, adhibita camphorata & veſicatorium dolenti loco applicitum demum decimo qvinto die morbi in loco affecto exſurgens obſervatus fuit tumor notabilis durus, preſſionem non tolerans, intra octo ſeqventes dies ultra pugni magnitudinem adauctus, inclinationi corporis obſtans, cum vomitu freqventi; horripilatio verò ſuppurationis metuendæ indicium non adfuit; pillulas reſolventes qvidem præſcripſi, qvas verò æger deglutire neqvibat, hinc tincturam in caſu mox antecedente laudatam propinavi, ut & ungventum neapolitanum omni veſpera tumori illinendum; poſt decem dies vomitus ceſſabat & tumor adeo minuebatur, ut corpus antrorſum & ad omnes plagas flecti potuerit; ſalivatio dein acceſſit per qvatuordecim dies durans, qva finita nullum amplius tumoris veſtigium, nec a nobis nec ab ipſo ægroto percipi potuit, qvi recuperatis demum viribus cum plenaria valetudine noſocomium reliqvit.

4. Phthiſicos tres jam ſatis emaciatos cum ſputo manifeſto puris in duobus ſangvinis ſputationem ſecuto ſanabant olei asphalti

guttæ octo mane & vesperi sumtæ nec non juſculum ſecalinum jejuno ventriculo ingeſtum; mitis tamen æſtivi aëris temperies non parvam ſymbolam contulit medelæ hujus morbi, qvi aliis anni ſtatibus & ſponte increſcit & remediis obſtat.

5. Symptomata a Tænia, cujus fruſta qvandoqve per alvum evacuabantur, mihi valde ſingularia videbantur ideoqve mentione haud indigna. Puella 36 annorum per annum afflicta erat tremore involuntario maxillæ inferioris, qvi irregulariter recurrebat interdum aliqvot horis, interdum integris diebus durans loqvelam tamen non impediens cum vel absqve præcedente cardialgia; qvandoqve tenſiones omnium membrorum, & transitoria abdominis expanſio moleſtabant, interdum crura œdematoſe tumeſcebant iterumqve ſponte & cito detumeſcebant; menſtruus fluxus, appetitus & alvus naturali modo ſe habuerunt, nec ægra aliam morbi cauſam indicare, nec ego indagare potuimus, qvam tæniam in ventre hoſpitantem; emeticum, dein purgantia jalappina mercurio dulci juncta, alias vermifuga ſolita & præter illa florum zinci grana tria ter per diem dedi; tentamina hæc cum levamine qvidem ſed absqve evacuatione vermium tantum 18 diebus facta fuerunt, utpote tempus ulterius non vacavit ægrotæ,

qvæ

qvæ minuto morbo contenta atqve excepto illo maxillæ tremore ad ſolita negotia perficienda ſatis apta nobis valedixit. Qvamvis multifaria phenomena e titillatione nervorum per vermes inteſtinales derivari & obſervari ſolent, allata tamen ut rariſſima atqve novum documentum mirabilis nervorum conſenſus haud ſuperflue adjicienda putavi. In ſimili caſu non omnis mali culpa in irritationem vermium conferenda eſt, conſpirat ſimul ſingularis ipſorum nervorum diſpoſitio atqve ſenſibilitas, qvapropter medicantis eſt, non modo evacuationi vermium ſed etiam alterationi accommodare curam, ut ſi non utriusqve, tamen alterutrius voti compos fieri, itaqve morbum frangere valeat.

SECTIONES.

6. Hydrope aſcite cum manifeſta abdominis fluctuatione, nec non œdemate notabili extremitatum inferiorum atqve dolore aliqvali hypochondrii ſiniſtri per aliqvot hebdomades afflicta erat fœmina 40 annos nata; paracenteſi bis inſtituta variisqve remediis promota diureſi abundans ſerum e corpore qvidem educebatur, ſub progreſſu verò morbi ſurrexit & tactui manifeſte ſe oppoſuit corpus peregrinum a coſtis ſpuriis lateris ſiniſtri ad os ileum extenſum & e pluribus minori-

bus tumoribus duris pressione haud dolentibus compositum, vomitus interea freqvens fuit, & consumtio virium atqve carnis indies major morbum qvatuor mensium morte finivit. Aperto abdomine omenti majoris loco inveniebatur massa alienæ naturæ, totum latus abdominis sinistrum & partem supremam lateris dextri occupans, scilicet a flexura coli dextra & colo transverso ortum trahens, admodum crassa, compacta præsertim in sinistro latere, ubi crassitiem circiter qvatuor pollicum habuit, qvoad substantiam lippomatosa, aliàs verò ubiqve corporibus rotundis diversæ magnitudinis vel nigris vel flavescentibus ad similitudinem uvarum obsita; omentum minus eodem modo degeneratum erat; processui vermiformi similis excrescentia ad pugni magnitudinem adhæsit.

7. Vir 32 annorum die 7mo Junii 1782 in nosocomio susceptus nil aliud qverebatur qvam dolorem hypochondrii utriusqve absqve tussi jam tribus septimanis durantem cum alvo, appetitu, pulsuqve naturalibus; vena jam ter secta fuerat, phlebotomia tamen adhuc tripla vice ob sangvinis phlogisticam indolem repetita fuit; postea dolor vagabatur præsertim in trunco ejusqve omnibus regionibus mox in alterutro pectore, mox in dorso, mox in lumbis mox in ischiis, aliqvoties crura petebat

bat cum levamine reliqvi corporis; post diem nonum mensis Augusti crura haud amplius doluerunt, sed tantum trunci partes, modò abdomen cum molesta expansione, modò pectus cum dyspnœa & tussi sicca; versus finem Septembris dolor reddebatur fixus osteocopus in costis lateris sinistri & dorso simul aliqvatenus rigido & flexioni corporis obstante, raró remittens & tunc qvasi toti trunco inhærens, atqve dyspnœam sibi junctam habens; mense Februario dolor dorsi constans insignis cum incurvatione corporis magis magisqve adaucta, ita ut ab initio Martii æger horizontaliter decumbere aut ad ullam plagam truncum movere haud potuerit, sed continuo in eodem situ sc. curvato antrorsum corpore in lecto se tenere coactus fuerit; tussis qvoqve duobus ultimis vitæ mensibus valde molestavit cum sputo qvandoqve sangvineo qvandoqve purulento, sex ante mortem diebus extremitates inferiores prorsus paralyticæ & qvoad sensum & qvoad motum reddebantur & vesica urinaria vim sese exonerandi perdebat; exhaustis demum magis magisqve vitæ viribus & ad summum fastigium provectis cruciatibus die 11mo Aprilis optatissima mors finem imposuit; sub toto fere morbi decursu enormis aderat sudor, appetitus qvodammodo bonus, somnus verò paucus ultimis mensibus prorsus impeditus; om-

nia, qvæ excogitare poteram, auxilia in ufum tracta fuerunt indoli, progrelfui, mutationi & pertinaciæ morbi accomodata; initio camphorata, aliàs balnea varia, veficatoria, fonticuli furis appofiti, antimonialia, gummi gvajacum, extractum aconiti, mercurialia, decoctum corticis mezerei, verum absqve levamine. Aperto cadaveris abdomine vifcera invenimus naturalia præter inteftinum colon maculis nigris paffim notatum, nec non veficam urinariam enormiter diftentam & repletam; in pectore pulmo dexter fcirrhofus deprehendebatur, præcipua autem mali fedes erat vertebra feptima dorfi, cujus corpus notabiliter prominens penitiore examine inveniebatur carie prorfus deftructum, ita ut folis digitis macerari & ad medullam fpinalem usqve fruftatim auferri poffet; corpus vertebræ octavæ etiam pro parte ad feptimam vergente fimilis læfionis particeps erat. Inter plura, qvæ tractavi, miferorum millia neminem allato ægroto miferiorem vidi, five durationem, five gradum calamitatum illius recogitam; dubitare neqveo, qvin materia arthritica forfan intenfioris acrimoniæ, qvæ initio vaga omniqve artis conamine corrigente, eliminante, derivante fuperior fuit, fefe demum fixerit in vertebra fupra defcripta illamqve deftruxerit, unde fimul & vicini nervi irritati fuerunt atqve dolor in

va-

variis regionibus dorſi obortus, & demum ipſa medullæ ſpinalis læſio atqve compreſſio producta fuit, cui paralyſis extremitatum inferiorum & veſicæ urinariæ adſcribi debet; qvod verò materia arthritica talem vim oſſeam ſubſtantiam ſolvendi habeat, demonſtrat ſimilis illius efficacia apud nonnullos iſchiade afflictos, qvibus demum caput oſſis femoris carioſum redditur. Recurrente tali qvem deſcripſi, caſu, qvid medico agendum eſt? Repetere, qvæ ego tentavi, remedia infelix diſſvadet eventus, nonne aliqvid boni ex opii magna ſenſimqve adaucta doſi ſperandum eſt? Haud adeo improbabilis mihi videtur concluſio ab eximia opii virtute in debellanda corruptione partium mollium earumqve exulceratione per alia remedia invincibili ad ſimilem illius vim corrigendi diſſolutionem partium oſſearum; in ancipiti morbo, qvalis noſter merito æſtimatur anceps permittitur remedium, imprimis tale, qvod non juvans tamen crudelem ægritudinem levat.

JULIUS.

1. Febreålioſo-putrida 54 ægrotabant, octodecim modice triginta ſex gravius decum-

cumbentes; apud duos declinantem morbum comitabatur æſtus exacerbatio manifeſte periodica, ideoqve largius porrecto corticis decocto tollebatur; qvatuor e morbo liberabat metaſtaticus crurum tumor, in duobus ſcorbuticis maculis notatus, in tertio plures abſceſſus minores vel majores diu ſuppuratos ſecum ducens, in qvarto autem ſimplex œdematoſus. Cuidam e graviſſima & diuturna putrida febre convaleſcenti dejectio alvi freqventiſſima dyſenterica ſupervenit; pulvis radicis gei urbani bihorio, qvamdiu hoc experimentum ob morbi vehementiam tutum fuit, exhibitus nullam ſanationis ſpem dedit, porrectum ideo electuarium antidyſentericum antea in his actis deſcriptum ægrotum mox levavit & prorſus ſanavit; alteri autem ſimilem periculoſam morborum ſucceſſionem patienti contrarius evenit medicaminum effectus; electuario enim per aliqvot dies incaſſum adhibito ſubſtitutus fuit pulvis gei, qvi votis reſpondebat. Qvinqve moriebantur, unus ob metaſtaſin ad pectus cum ſputo purulento, demum impedito, duos interemit morbus ad caput delatus, unum mediante apoplexia, alterum vero inducendo ſummum ſtuporem aurisqve purulentum fluxum, qvi ſimul læſionem cerebri ſuſpectam reddidit, alios duos ſola debilitas virium e vivis ſuſtulit.

2.

2. Febre intermittente partim qvotidiana partim tertiana tredecim afflicti atqve ſanati fuerunt.

Cholera morbo ſc. vomitu & diarrhœa nec non moleſtis crampo ſimilibus artuum tenſionibus duo laborarunt, liqvoris nervini guttis viginti bihorio ſumtis reſtituti.

3. Ab animi pathemate vir 25 annorum oriri ſentiit dolorem inter ſcapulas initio extenſum ad ambo brachia, cum eorundem immobilitate nonnulla junctum; remedia qvædam externa adhibita morbum ita mutabant, ut modò brachium dextrum maneret afflictum dolore conſtanti juxta tractum bicipitis nec non debilitate præſertim pollicis ejusdem lateris tanta, ut æger ſartor negotio ſuo prorſus eſſet ineptus; infirmitas hæc jam per plures menſes protracta inunctione ungventi nervini, cucurbitis ſiccis, balneo vaporis, qvod initio adhibitum dolorem brachii fugavit, & dein balneo ſtillatitio, qvo pollicem præſertim juvari comperimus, ſex circiter hebdomadum ſpatio ſublata fuit. Arthritidis nervoſæ exemplum caſus hic tradere videtur.

4. Arthritis maculoſa anomala ſeqvens caſus nuncupari meretur: in milite 39 an-

annorum qvatuordecim diebus adfuerant maculæ planæ lividæ petechiis tamen latiores, prurientes, non ſuppurantes, artus tam ſuperiores qvam inferiores obtegentes, vagæ, interdum evaneſcentes ſub dolore redeuntes: Hiſce octiduo junctus erat dolor in articulis extremitatum fere omnibus cum aliqvali tumore & rigiditate eorundem, appetitus paucis diebus proſtratus fuit cum lingva ſordida, dolore oppreſſorio cardiæ, alvus naturalis, pulſus vix febrilis, nec ulla ſcorbuti ſigna reperiebantur. Cremor tartari mox exhibitus fuit, inſeqvanti nocte & die magis doluit cardia cum vomitu freqventi bilioſo, crurum verò dolor minuebatur, veſicatoria ideo ſuris applicita & liqvoris nervini guttæ viginti bihorio porrecta erant; ſic poſt qvatuor dies abdomen ſub adaucto artuum dolore reſtituebatur; conſolidatis autem veſicatoriis artuum afflictio e novo miteſcebat, ejusqve loco reſurgebant tormina abdominis cum diarrhœa; mixtura camphorata alternatim cum anima rhei, necnon renovata veſicatoria in ſuris, ubi ſuppuratio diu promota fuit, demnm poſt qvatuordecim dies convertendo & figendo dolorem in artubus ventris ſtatum reddebant naturalem; verum finita fere ſuppuratione crurum, adhuc tertia vice verſus abdomen directus morbus vomitum & diarrhœam dolorificam produxit. Exhibitæ nunc liqvoris ner-

nervini guttæ viginti omni hora paucis diebus abdomen & artus ſimul ſanabant; maculæ ſupra allatæ toto morbi tempore ſc. ſex hebdomadum non ceſſarunt, ſed mox in uno mox in altero membro clarius apparuerunt, demum verſus finem morbi evaneſcentes. Tales ideo maculæ non ſcorbuticæ putentur, nec prohibeant veſicatoria, ſine qvibus æger noſter vix ſervaretur.

5. Stranguria qvædam forſan hæmorrhoidalis dicenda inter rariores & memoria retinendos caſus numeranda eſt: Vir nobilis 42 annorum e Norvegia Hafniam profectus allati morbi gratia per plures annos hæmorrhoidibus cœcis laboraverat, indeqve ante annum & dimidium paſſus fuerat ſangvifluxum largum vi validi corporis motus citatum, & qvatuordecim diebus protractum; trimeſtri ſpatio abhinc præterlapſo invaſit ſtranguria aliqvot ſeptimanis durans, motuqve corporis freqventi absqve medicamentis fugata. Menſe Novembri 1782 recurrebat illa ſtranguria, primo menſe modica tantum nocturna, poſtea increſcens, etiam diurna; multis eapropter adhibitis laxantibus remediis ſtranguria reddebatur pejor per plures horas continuas diu noctuqve ægrum ad mingendum cogens, raro intermittens, ſomnumqve non niſi per pauca minuta concedens, emiſſa

uri-

urina utplurimum pauca, aqvoſa, interdum turbida decocti hordei adinſtar erat, dolores lancinantes penem qvandoqve moleſtabant, hic & ſcrotum ſemper contracta, frigida inveniebantur, teneſmus ſtranguriam comitabatur moleſtiſſimus cum excretione multa mucoſa interdum parum ſangvinea; appetitus ſemper bonus fuerat, alvusqve potius ad laxitatem qvam obſtipationem prona. Ita per octo menſes cruciatus æger noſocomium advenit allatas miſerias enarrans & adhuc patiens; mihi calculos inqvirenti indicatum fuit, illorum veſtigia aut ſigna nunqvam adfuiſſe; nec chirurgi ſollicita exploratione aliqvid peregrinum aut præter naturam in veſica & inteſtino recto inveniri potuit. Initio venæſectionem & emulſiones camphoratas adhibui ſine levamine, hirudines circa anum cum mitigatione temporaria, ſemicupia absqve emolumento, clysmata emollientia alternis diebus cum brevi utilitate, laudanum liqvidum ſydenhami absqve fructu; hiſce fruſtra tentatis aqva pyrmontana in uſum vocabatur ſolita qvantitate omni mane exhibita, intra aliqvot dies ſe meliorem ſentiit æger, & conſumtis viginti octo hujus aqvæ lagenis ſtranguria reddebatur notabiliter tolerabilis, diu intermittens, ſomno aliqvot horarum non obſtans, teneſmus moleſtus fere ceſſabat, dejectio alvi naturalis haud mucoſa fiebat,

pu-

pudenda naturalem recipiebant ſtatum; ut optabilem adeo mutationem morbi conſervarem & forſan perficerem, analogia ductus conſvaſi uſum aqvæ frigidæ loco omnis alterius potus, atqve epithema ſc. linteum aqva frigida humectatum bis terve qvotidie partibus genitalibus applicandum; & interdum clysma ex vini albi uncia & dimidia, extracti opii grano uno & dimidio injiciendum, qvibus factum fuit, ut æger, etiamſi non prorſus ſanatus, tamen maxima votorum parte potitus & hilaris patriam reverſus ſit; poſtea litteris mihi notum fecit, ſtatum morbi magis magisqve in meliorem converti, qvod potiſſimum largo uſui aqvæ frigidæ adſcribendum eſſe credit. Qvoad medicationem hujus morbi notare prodeſt, tum qvot & qvalia remedia inutilia fuerunt, ne ad ſimiles caſus ſimilia tentando tempus & operam perdamus atqve ægroti levamen differamus, tum illa, qvæ ſibi proficua ſentiit æger, auxilia; vix alia hanc laudem merebantur, qvam uſus aqvæ frigidæ primò pyrmontanæ dein ſimplicis, enema opiatum, cujus leniens effectus ad duos vel tres dies in genere duravit, & hirudines circa inteſtinum rectum. Qvale veò fuit internum partium vitium, cui productio & progreſſio adeo moleſti ſymptomatis tribui debet? Non immerito mihi videor pro prima cauſa ſuſpicari mucum

acrem, qvem dicunt hæmorrhoidalem, in recto abundantem, qvi abſorptus & mediante vaſorum conſenſu in veſica urinaria depoſitus fuit; peregrinus hic ſtimulus non poterat non veſicam irritare, ejusdemqve evacuandi niſum nimis freqventem, validum & moleſtum excitare, tanqvam conſeqventes ſpaſticæ hujus contractionis effectus cogitare licet ſeparationem & excretionem muci naturalis veſicam obtegentis, indeqve hujus ſenſibilitatem nimiam qvæ novam micturitionis moleſtæ cauſam ſiſteret. Hæc theoria apte explicat non modò ipſa ſymptomata, ſed qvoqve difficultatem iisdem medendi, & demum finem illorum ultimum poſſibilem, ſcilicet e dolore inflammationem, ex hac verò veſicæ ſuppurationem poſt diuturnos & vehementes cruciatus demum funeſtam.

6. Hydropis ad notabilem gradum provecti apud qvinqve ægrotos felix fuit ſanatio.

Virum 66 annorum, qvi e platea ad noſocomium portabatur, ſomno profundo inveni obrutum cum tumore œdematoſo totius corporis, tuſſi puriformia expectorante, atqve excrementis involuntariis, ſpe licet exigua ſanationis ſuperſtite, emulſionis ammoniacalis unciam bihorio tamen præbui, alvus hinc laxabatur, mens redibat & intra qvatuor

tuor dies tumor pro maxima parte disparebat; verum nonnulla obſervabatur paralytica debilitas extremitatum lateris dextri; cujus cauſa liqvoris nervini guttæ triginta ter de die, nec non cochleare minus cremoris tartari partis duplæ, rhei partis unius in uſum trahebantur; membris ita poſt tres hebdomadas reſtitutis reſurgebat crurum tumor cum dyspnæa qvandoqve tanta, ut lectum deſerere cogeretur æger, repetita igitur fuit allata emulſio, qvæ diureſin inſigniter augendo ægrotum ſanavit.

Alter 48 annorum hydrope notabili extremitatum inferiorum alvoqve laxa per qvatuordecim dies affectus primò adhibuit tincturam rhei aqvoſam, in hacce complicatione præſtantem, cum infuſo juniperino; diureſis qvidem notabiliter increvit, verum absqve decremento tumoris; qvinimo abdomen etiam intumuit, dyspnœa acceſſit; ſqvillitica, ut pilulæ ad hydropicos, acetum ſcilliticum cum ſpiritu ſalis dulci, in uſum vocata neqvidem avertere poterunt augmentum morbi adeo increſcentis, ut ſumma dyspnœa ægroto ſuffocationem minaretnr; arrepta tunc emulſio ammoniacalis & omni hora porrecta brevi tempore periculum avertit, urinæ alviqve fluxum largum promovit, & morbum intra qvatuordecim dies perfecte ſanavit.

H 2 Apud

Apud alium 42 annos natum febris intermittens bimeſtris poſt ſe reliqverat hydropem, qvi jam per decem hebdomades durans totum occupabat corpus cum inſigni abdominis expanſione tamen non fluctuante, dyspnœa, tuſſi ſicca, ſiti, anorexia, urina parca, alvoqve interdum laxa; emulſio laudata etiam hic exhibita alvum mox laxam & diureſin largam efficiebat, expectoratio puriformis ſimul bene procedebat, qvæ excretiones octidui tantum ſpatio tumorem atqve dyspnœam fugabant; expanſio qvidem nonnulla abdominis ſupererat, qvam flatulentiæ & laxitati inteſtinorum adſcripſi & per acetum ſcilliticum cum ſpiritu ſalis dulci junctum citò curavi.

Qvinqvagenarius tribus ſeptimanis ægrotans tumore hydropico univerſali, abdomine expanſo non fluctuante, dyspnœa modica, alvoqve ſegni primò adhibuit cremorem tartari, qvi mox urinæ fluxum augebat, dein verò alvum laxabat cum minuta diureſi; hinc non decreſcente tumore alterius loco dedi animæ rhei guttas 60 ter de die, qva alvus naturalis & diureſis adeo adaucta fuit, ut tumor omnis intra qvatuordecim dies evanuerit; ſucceſſit qvidem cephalalgia vertiginoſa, qvam e ſeroſa colluvie in capite derivabam, ideoqve veſicatorio nuchæ, indeqve orta

ſup-

ſuppuratione aliqvot diebus conſervata tollebam.

Vir 43 aſcite ſex hebdomadum magis magisqve adaucto laboraverat cum fluctuatione manifeſta abdominis, nec non tumore œdematoſo extremitatum inferiorum; ab initio & adhuc dolebat cardia, qvandoqve ſponte, aliàs poſt ingeſtos cibos & ab attactu, alvus qvodammodo erat naturalis. Animæ rhei & ſolutionis tartari tartariſati ana guttæ 60 ter de die, pilulæ ad hydropicos no. 5 omni veſpera & infuſum juniperinum exhibita fuerunt, verum non diureſis, ſed abdominis tumor increvit; paracenteſi ideo educebantur ſeri limpidi menſuræ duodecim; ſcrotum etiam valde tumidum ſcarificatum fuit; tam ex hoc loco qvam e vulnere abdominis per octo dies largum effluxit ſerum cum detumeſcentia notabili utriusqve partis; repetitis dein allatis remediis internis ſub diureſi haud bene procedente e novo increſcebat abdominis & extremitatum tumor; præter interna ideo præſcripſi olei olivarum uncias duas, olei therebinthinæ drachmam ad abdomen & lumbos bis die inungendum, poſtea urina admodum larga fluxit, & intra tres circiter hebdomadas tumor omnis evanuit; verum enimverò novus inſurgebat morbus priori vix minor, ſc. tuſſis ſicca cum aliqvali

dyspnœa conſtanti, cui jungebantur paroxysmi aſtmatici irregulariter redeuntes, aliqvot horis durantes adeoqve graves, ut ſuffocationem inſtantem minarentur; ſpatio 20 dierum qvinqvies hoc metu mortis angebatur æger, intereaqve kerme minerali, emulſione ammoniacali, & radice ipecacuanhæ utebatur, qvibus remediis aliqvoties vomitus nec non expectoratio mucoſa cum levamine promovebatur; poſt ultimum verò aſtmatis inſultum repetii ipecacuannham & dein veſicatorium magnum pectori applicui, nec ultra recurrebat aſtma, ſed æger prorſus ſanatus noſocomium reliqvit.

Fauſta horum ægrotorum curatio non ſolis artis auxiliis tribuenda eſt; illi enim haud parum conduxit æſtiva & imprimis hoc anno benigna aëris temperies, & conſtans calor, qvi laxando & ſolvendo vaſa reddit ampliora magisqve pervia, humores autem tenuiores ad reſorptionem & excretionem magis idoneos; contrarium in tales morbos influxum exſerit oppoſita & frigida aëris conſtitutio ſc. vaſa conſtringendo & fluida condenſando; theoriam hanc conteſtatur experientia, adeo ut credere audeam, forſan nullum e noſtris ægrotis ſanatum fuiſſe, ſi morbus illorum in tempus hyemale incidiſſet.

SEC-

SECTIONES.

7. Vir 45 annorum colica octiduo durante inflammatoria per venæſectionem & camphorata intra paucos dies liberatus poſt grave animi pathema reddebatur admodum inqvietus, geſtus delirantis agens cum tremore continuo artuum. Hirudines temporibus impoſitæ, liqvor nervinus, moſchus, veſicatoria, & venæſectio morbum haud diminuerunt, qvinimo poſt octo dies vera epilepſia aggrediebatur & memoratum tremorem tollebat; inſultus hujus morbi initio irregulares, dein omni tertia hora recurrebant cum ſtupore notabili, mentisqve aberratione adaucta; talis periodi ergo propinabatur decoctum corticis peruviani larga doſi, qvod paroxysmos primò rariores reddidit & demum abegit, qvo facto tremor artuum cum nonnullo ſingultu redibat; verum qvatuordectm exactis diebus, licet continuatus fuerit corticis uſus, iterum invaſit epilepſia bis terve repetita, poſt ſe relinqvens gravius delirium, ſtuporem inſignem, debilitatem, alvum laxam, ſomnumqve multum profundum, qvæ, variis remediis fruſtra tentatis, demum poſt menſem mortem attulerunt. Perluſtratis in defuncto tam cavitate abdominis, qvam cerebro, nil aliud præter naturam invenimus, qvam ſerum in ventriculo laterali dextro extravaſatum. Notatu digna in hoc caſu mihi videtur: 1) Pe-

riodica & ſingularis epilepſiæ reverſio, qvæ forſan characteri nervorum febrili cum cauſa epilepſiæ conſpiranti tribuenda eſt. 2) Sublatio ejusdem per corticem peruvianum ad tempus durans, donec ſc. vitium cerebri epilepſiam faciens gradum vi corticis ſuperiorem attigiſſet. 3) Alterna ſucceſſio epilepſiæ & tremoris rara & vix explicabilis, ni ſtatuere liceat, nervos valido epilepſiæ motu illam, qvæ ad tremorem pertinet, mobilitatem perdidiſſe; & demum 4) qvod maxime mirabar, mors ſine detecta ſufficienti mortis cauſa, paucum enim in ventriculo crebri inventum ſerum vi qvantitatis vix æſtimari debet letiferum, qvia multiplice conſtat experientia, longe majorem talis extravaſati copiam colligi & reqviri, anteqvam funeſtum exſerat effectum; nonne verò occulta peregrini humoris acrimonia eandem valet inferre noxam, qvam notabilior accumulatio apud alios producit?

8. Fœmina 32 annos nata jamjam nono die ægrotans dolore pectoris ſiniſtri fixo, tuſſi prorſus ſicca, dyspnœa notabili & decubitu intolerabili in dorſo & latere dextro, ſexto poſt introitum ſc. decimo qvinto morbi die moriebatur. Aperto cadaveris thorace totus pulmo ſiniſter absqve minimo parenchymmatis veſtigio degeneratus erat in ſaccum magnum pus includentem, & mediante

te-

tenui membrana coſtis firmiter accretum, pulmo autem dexter ſanus apparuit.

9. Sartor gibboſus 35 annorum pallidus, hebes, tardiloqvus, leves motus febriles bilioſæ indolis patiens intra paucos dies evacuantium uſu adeo convaleſcere videbatur, ut extra lectum ſe teneret; tunc ſubitò lypothymia partim epileptica ter reverſa corripiebatur, cujus alia cauſa qvam ſitus corporis erectus ob debilitatem nimis protractus detegi neqvibat; qviete & roborantibus adhibitis remediis illud malum haud poſtea redibat; verum æger pigerrimus erat nullo modo ad corporis exercitia cogendus, ob qvam ſine dubio cauſam ſenſim ſurrexit dyspnœa cum tumore œdematoſo crurum & gingyvis cruentis; antiſcorbutica nunc optima in uſum vocabantur; die autem 27 Septembris ſupervenit anxietas præcordialis enormis cum cephalalgia & nonnullo delirio poſt breve tempus evaneſcentia, alternis dein diebus ſimile rediit malum, pulſus ſemper manebat etiam in paroxysmis naturalis, alvus vero laxa cum dolore abdominis; electuarium corticis peruviani cum rheo porrectum morbum haud diminuit; qvinimo poſt qvintum Octobrem febris reddebatur continua cum cephalalgia & delirio non intermittentibus, alviqve fluxu torminoſo demum involuntario, qvibus die

14 Octobris vita exſtincta fuit. Diſſecto cranio tam inter meminges ipſas qvam inter has & cerebrum inveniebatur ſerum extravaſatum, qvo etiam pleni erant ventriculi laterales; in thorace ambo pulmones coſtis anterius erant accreti, in pericardio autem enormis copia ſeroſi liqvidi incluſa; in imo ventre humor nonnullus turbidus, omentum ſphaceloſum, inteſtina tenuia partim inflammata partim ſphacelo correpta, glandulæ meſenterii induratæ, hepar ubiqve diaphragmati accretum, deprehenſa fuerunt. Qvanta ſanitatis noxa e defectu corporei motus timenda ſit, imprimis cum laxitas ſolidorum naturalis & debilitas poſt devictos morbos ſuperſtes conſpirant, ex allato caſu deducere licet; vix enim ulla eſt dubitandi ratio, qvin ſerum in cavitatibus ægroti noſtri repertum, qvodqve vi acrimoniæ & copiæ ſuæ varias imo letales læſiones partibus internis induxerat, effectus fuerit retardatæ circulationis indeqve impeditæ tam reſorptionis qvam excretionis humorum.

10. Nauta 30 annorum triduo, ut retulit, poſt inſignem terrorem mortisqve metum incidit in tumorem hydropicum extremitatum & abdominis jam notabilem deprehenſum cum obſcura fluctuatione, ſiti, urina parca, alvo verò naturali; tertio poſt introitum die

ſubi-

ſubitò moriebatur æger; ex aperto defuncti abdomine largiſſimum effluxit flavum ſerum, omentum integrum inveni craſſum, durum, compoſitum ex innumeris tuberculis rubris rotundis glandulas referentibus, idem erat ſtatus meſenterii, meſocoli, meſorecti, atqve appendicum pingvium coli nec non ipſius & totius hepatis. Notum atqve indubitatum eſt, animi ingrata pathemata imprimis terrorem ſcirrhi cancriqve freqventem eſſe cauſam, haud ideo improbabile qvamvis mirum eſt ſtatuere, ſummum ægroti noſtri terrorem adeo amplam effeciſſe ſcirrhoſam obſtructionem, per qvam impeditus refluxus dein hydropem generabat.

11. Juvenis 21 annorum qvatuordecim diebus laboraverat dolore oſſis ilei, iſchii & genu lateris ſiniſtri, nullamqve læſionem externam paſſus fuerat, excepta valida conſtrictione per ligamentum tenue, qvo ad ſuſtinendas braccas uti ſolebat; brevi poſt introitum ad marginem oſſis ilei detectus fuit tumor ſuppuratus, qvi per inciſionem menſuram puris denſi effundebant; ulcere dein a chirurgis tractato & intus adhibito cortice peruviano, hectica tamen acceſſit febris cum tuſſi, ſputoqve purulento, poſt menſem letalis. In cadavere explorato magna portio criſtæ anterioris oſſis ilei ad ſpinam anteriorem inferio-

feriorem usqve partibus mollibus denudata erat & carie admodum corroſa; ulcus tamen in cavitatem abdominis non penetraverat; peritoneum enim prorſus integrum & illæſum in loco affecto reperiebatur.

AUGUSTUS.

1. Febre bilioſo-putrida 56 laborarunt, viginti modice, triginta ſex graviter afflicti; ſingularis dolor artuum inferiorum initio morbi ſæpe junctus, ſub progreſſu ejusdem evanuit. Solitò plures fauces habebant affectas cum moleſta deglutitione, qvod ſymptoma medicaminum ingeſtionem impediens eventum morbi funeſtum promovebat; octo moriebantur partim ob ſummam debilitatem partim vi congeſtionis humorum ad encephalum.

2. Febres intermittentes qvoad numerum, ſymptomatum indolem minus ſolitam, atqve alternationem cum aliis morbis notabiles erant. Viginti octo morbus hic tenebat, utplurimum typi qvotidiani, & moleſtam vertiginem ſecum ducens. Apud qvindecim continuam febrem pro matre habuit illa in-

intermittens. Qvidam loco paroxysmi patiebatur vertiginem cum dolore & ſuſurru auris ſiniſtræ, in altero tanta erat hæc vertigo, ut hirudinum temporalium uſus ad avertendam apoplexiam neceſſarius eſſet, ambo tamen cortice ſanabantur; qvidam devicta continua febre incidebat in gravem cephalalgiam omni nocte revertentem, qvæ exhibitis digeſtivis, emetico & dein cortice peruviano non cedebat, verum repetito emetico & ſubjunctis digeſtivis absqve cortice ſanabatur. Apud alium vertigo periodica cortici poſt eccoprotica & emeticum porrecto prorſus reſiſtebat, e novo ſumtum emeticum poſteaqve repetitus cortex haud majoris efficaciæ fuerunt, demum, poſt emeſin tertia vice inſtitutam corticis vi inferior reddebatur febris. Vir 37 annorum poſt plurima febris bilioſæ ſymptomata evacuantibus fugata adhuc vexabatur cephalalgia inſigni conſtanti; veſicatorio nuchæ applicito dolor ille transibat in hemicraniam lateris dextri continuam, tamen per intervalla irregularia, præſertim ſub minimo capitis motu vel tuſſi increſcentem; eccoprotica, hirudines, veſicatorium nuchæ renovatum cum ſuppuratione diu promota tantum effecerunt, ut dolor minus conſtans, ſed tamen irregulariter cum pulſatione inſigni & tremore maxillæ inferioris recurreret: Ob metum vitii localis qvater miſſus fuit ſangvis cruſta gelatinoſa

craſſa

crassa obductus verum absqve mutatione morbi, demum dolenti capitis loco deraso vesicatorium fuit applicitum, post hujus effectum integro seqventi nycthemero silebat capitis dolor; tunc verò surrexit notabile corpus frigus sesqvihoram durans, & secum ducens insignem cephalalgiam tamen non ultra frigus protractam; statim ideo arreptus cortex & largiter ingestus cephalalgiam illam rebellem sensim qvidem, ita ut illius vestigium aliqvoties sed irregulariter adesset, atqve plene fugavit. Alter 26 annorum a febre qvotidiana per salina & emeticum liberatus dolorem qverebatur constantem scapulæ utriusqve & nuchæ, huic primò, dein brachiis admota vesicatoria dolorem allatum convertebant in febrem, qvæ iterum præbito emetico mox evanuit, succedente dolore constanti pone aures in utroqve processu mastoideo, qvi dolor per applicitas in locis affectis hirudines absqve reversione febris cessavit; attamen ob lingvam ægroti albam & faciem cachecticam timebam febris recursum, ad qvem prævertendum cortex per aliqvod tempus in usum trahebatur. Conveniunt hi casus ad docendum fallacem intermittentium sese ostendendi modum s., ut dicunt, proteiformem indolem, vi cujus non tantum pro parte sc. periodo qvidem retenta, sed alterius morbi symptomatibus & forma indutæ celantur, sed etiam abs-

absqve omni periodo ſub ſpecie peregrini morbi apparent.

3. Diarrhoea habitualis plurum menſium ipecacuannha & rheo non ſanabilis pulvere radicis gei urbani bihorio ſumto ſedabatur.

4. Splenalgia fœminam 48 annorum novem menſibus miſere afflixerat omni tempore promeridtano recurrens, antemeridiem ſilens; proximo tamen menſe tantummodo remittebat hic dolor, verum promeridie exacerbatus, lancinans, incipiens a regione lienis indeqve extenſus ad reliqvas omnes abdominis plagas & dorſum; hypochondrium affectum, nec tumorem nec duritiem perceptibilem habebat, attactum tamen ægre ferebat, menſtrua erant regularia, appetitus bonus, alvus ſegnis. Ungventum neapolitanum lateri dolenti omni veſpera illitum & pilulæ e ſaponis venetæ drachmis duabus gummi ammoniaci, aſſa fœtidæ, extracti chamomillæ ana drachma, aloes gummoſi drachma dimidia compoſitæ & ad grana qvindecim ter indies porrectæ ſex hebdomadum ſpatio ægrotam ſanabant.

5. Hepatalgia in viro qvadragenario ante dimidium annum per ejectionem ſangvineo-purulentam ſurſum & deorſum factam

tam terminata fuit; poſtea tamen ſtatus permanebat valetudinarius cum ſenſu preſſorio ab ingeſtis, vomitu freqventi, pyroſi moleſta, eructatione acida, alvo ſegni, debilitato & emaciato corpore; tentata rhabarbarina & magneſia alba vomitum qvidem ſedabant; reliqvis autem non mutatis exhibui pillulas mox ſupra deſcriptas verum absqve aſſa fœtida, nec non aqvam calcis pro potu; undecim poſthæc diebus exactis, dolor lancinans vagus in regione cardiæ ſentiebatur, qvem reſolutioni vi pilularum incipienti adſcripſi; præſcribebam ſimul inunctionem cardiæ qvotidianam per ungventum mercuriale, & ſic poſt menſis ſpatium ſanitas integra fuit reſtituta.

6. Splenalgiæ ſpuriæ nomen me judice merebatur dolor, qvi infra coſtas ſpurias ſiniſtras reſidens trimeſtri ſpatio puellam 26 annorum afflixit per intervalla exacerbatus cum vomitu freqventi imo ſangvineo, ſingultu, cardialgia, expanſione moleſta abdominis alvoqve ſegni, menſtruis verò regularibus; multa antihyſterica, reſolventia, clysmata absqve ullo effectu adhibita fuerunt, demum dedi mixturam compoſitam e ſalis mirabilis glauberi unciis duabus, aqvæ menthæ unciis octo, tincturæ rhei aqvoſæ uncia dimidia, cujus cochlearia duo omni hora ſumta alvum

lar-

largiter purgabant, itaqve intra biduum omne malum ſimul cum ſuſpicione obſtructionis lienis tollebant; morbus enim ſi verus fuiſſet infarctus, haud adeo citò curatus foret: Probabile autem eſt, ſordes colo adhæſiſſe tenaces, qvæ transitum minus magisve impediendo abdominis expanſioni, lienis compreſſioni, aliisqve inde pendentibus moleſtiis anſam dederunt. Ad praxin itidem utile monitum ſuppeditat hæc obſervatio, ut in ſimili caſu allatam cauſam ſuſpicari rectaqve via debellare valeamus.

7. Ex enteritide revaleſcenti juveni 20 annorum, ita ut jam alvus ſponte aperta fuerit, ob lingvam ſordidam porrectus fuit pulveris rhei, temperantis ſalini camphorati ana ſcrupulus, unde alvus bis laxabatur, inſeqventi die nil mali ſentiit æger, tertio autem dolor in loco antea affecto mox ſupra umbilicum recruduit brevi tempore ad ſummum faſtigium provectus cum intercurrente vomitu, ſingultu, plena obſtipatione alvi & flatuum, dolore moleſto teſticulorum, qvi tamen ad aſpectum ſani erant, urina aurantia turbida; octies miſſus ſangvis non phlogiſticus nullius momenti levamen attulit, camphorata initio tolerabilia, demum vomitum excitabant; die octavo morbi eodem gradu deſperati emulſionis communis Fulleri un-

 cias

cias ſex, moſchi orientalis grana ſex ad cochleare majus omni hora propinavi, qvæ medicina, ægroto non inimica, ſymptomata morbi mox levabat, ſenſimqve ſpatio octo dierum prorſus fugabat, interea etiam clysma oleoſum ter injectum alvum bene & cum levamine ſubduxerat. Medicamen, licet aliqvoties absqve noxa imo cum utilitate porrectum, ſemel verò nocens intutum cenſeri & prorſus rejici debet, ſi ſecurior datur medendi via; ad tale judicium de rhei uſu mox poſt ſublatam inteſtinalem inflammationem ferendum me movet allatus caſus; idem confirmat, qvod plures experientiæ me jamjam docuerunt, virtutem moſchi antphlogiſticam, qvæ non modo camphoræ vim in caſibus periculoſis exaltare, ſed etiam illius vices, ſi opus eſt, ſola ſupplere valet. Meritò inflammatis inteſtinis enemata pro adminiculo minus certo, qvandoqve pernicioſo habentur, dantur tamen caſus, qvalis noſter fuit, ubi proficua, ſecura, imo neceſſaria ſunt; fugato ſc. omni dolore, abeuntibus flatibus, & alvi tamen apertura poſt unum alterumve diem non ſubſeqvente, tonum inteſtinorum nimis debilem ad evacuationem promovendam ſuſpicari, illumqve ideo modica clysmatis vi commovere fas eſt, ne ſordes, ſtimulo per retentionem diututurnam incre-


crescente, novam atqve majorem irritationem inferant.

8. Dolor abdominis constrictorius continuus pictorem 24 annorum novem diebus afflixerat cum vomitu tam spontaneo bilioso qvam omnium ingestorum, vel statim, vel dimidia hora post assumptionem, nec non obstipatione alvi modò semel sub morbo ante qvinqve dies per clysma apertæ; singultus biduo aderat, cephalalgia progredienti morbo adjuncta magis magisqve jam ad insignem gradum increverat; faciem inveni inflatam pallidam, oculos flavescentes, lingvam albam, pulsumqve lentum; remedia colicæ saturninæ congrua applicabam; clysmate alvus evacuabatur, abdomen oleo lini inungi, & intus solationem oleoso-mannatam sumi curabam, eademqve vespera ob vehementiam symptomatum sangvinem, qvi non phlogisticus erat, e vena mitti; decimo die ob statum eundem adhuc bis eductus fuit similis sangvis, emulsio camphorata sumta & cataplasma emolliens abdomini impositum fuit; hinc symptomata abdominalia sensim cessabant & alvus fluebat, verum enormis cephalalgia superstes demum post hirudines temporales & vesicatoria brachiis applicita tollebatur, & æger in omnibus se bene habuit; biduo autem præterlapso redibant & cepha-

lalgia enormis & abdominis dolor cum vomitu atqve obſtipatione, ter miſſus ſangvis phlogiſticus atqve camphorata cito abdomen reſtituebant, verum cephalalgia continuabat ſangviſugio hirudinum repetito haud mitigata, ſed veſicatoriis e novo in brachiis applicitis, qvorum ſnppuratio cantharidum pulvere diu promota fuit, demum atqve plene fugata. Morbum hunc propter ejusdem indolem & dubiam & complicatam notatu dignum æſtimavi; ipſa enim ſymptomata potiſſimum ſpasmodicam arguebant colicam, medicationis autem illi convenientis inutilitas, atqve ſalutaris antiphlogiſticorum effectus gravius argumentum pro inflammatoria origine præbuerunt; in caſibus ita ambiguis ad defectum ſignorum ſupplendum convenit obſervatio, qvo citior eo melior juvantium & non juvantium, e qvibus concludendum eſt, num medicina uni morbo accommodata, cœptaqve continuari, aut ejus loco alteri ſimul poſſibili morbo qvadrans medela eligi debeat. Verum caſus noſter etiam fuit complicatus, plura, qvam ex uno fonte derivanda, mala complexus, cephalalgiam puto enormem, nec nervoſæ, nec inflammatoriæ colicæ qvatali pertinentem; probabile eſt, arthriticum aliqvid ſimul adjunctum capitis nervos aggreſſum fuiſſe, qvod demum diuturna ſuppuratione derivatum & evacuatum erat.

9. Peripneumonia jam novem diebus durante juvenis 22 annorum afflictus erat cum dolore constani totius pectoris dextri, dyspnœa notabili, tussi sicca, alvoqve laxa; bis sub morbo secta fuit vena; adhuc duabus vicibus sangvinem misi, emulsionem camphoratam, kermes minerale dedi, vesicatorium dolenti lateri applicavi, demum 15to morbi die pauca puriformis incepit expectoratio, qvæ sub continuato expectorantium usu, sc. partim decocti senecæ, præsertim kermis mineralis & jusculi secalini magis magisqve adaucta per qvatuordecim dies durabat, tunc verò sputum reddebatur copiosissimum brunnum sangvine mixtum & alvus simul valde laxa; loco igitur expectorantium elegi sistentia sc. decoctum corticis peruviani omni hora alternatim cum pulvere radicis gei urbani, verum sputum permanebat idem brunni coloris atqve ad duas saltem mensuras qvotidie per octo dies ejectum; ad laxitatem pulmonum adeo enormem atqve periculosam debellandam præscripsi electuarium e corticis peruviani uncia dimidia, cascarillæ, boli armenæ ana drachmis duabus, nitri puri drachma, conservæ rosarum uncia & syrupi diacodii qv. s. ad cochleare minus omni hora sumendum, vi cujus allata expectoratio sensim decrevit & intra octo dies prorsus cessavit; revalescens autem æger sub levi motu corporis

ris & alia vice poſt ingeſtum juſculum carneum haud ſatis frigidum novos morbi acceſſus patiebatur, hinc ſumma imperata corporis qviete & frigida diæta, nec non continuato electuario deſcripto, ſenſim integram ſanitatem recuperavit. Hiſtoria hujus ægroti ſat utilem ad pulmonarios tractandos doctrinam exhibere mihi videtur ſc. 1) Tantam, licet raram, dari pulmonum laxitatem, ob qvam indicatio his morbis congrua expectorans atqve depurans reſtringi debet. 2) Talem pulmonum diſpoſitionem imprimis e ſputi fluxu largo & facili cognoſcendam, ejusqve periculoſos effectus tempeſtivo roborantium uſu prævertendos eſſe, & demum 3) qvo modo ægrotis pernicioſam adeo congeſtionem ad flaccidos pulmones patientibus ſuccurrendum ſit. Diæta frigida, corporis qvies, & laudatum electuarium ægrotum noſtrum ſanabant.



SEPTEMBER.

1. Febre blioſo-putrida 46 decumbebant, levius & brevius 22, gravius & diutius 24; unum parotis ſuppurata ſanabat; metaſtatica tuſſis morbo ſuccedebat in nonnullis, qvorum uni præcipuum juvamen oleum asphalti

ad-

afferebat; qvædam duodecimo morbi die, persistentibus adhuc symptomatibus putridis, occupata fuit dolore gravi pressorio cardiæ attactum haud tolerante, pulsuqve tenso, cum excretio primarum viarum & sursum & deorsum sat largiter jamjam effecta fuerit, potius metastasi hepar minanti, qvam fordibus e novo generatis illud symptoma tribuendum erat, venæsectio igitur qvater repetita & vesicatorium dolenti parti applicitum, in auxilium vocata timendum malum absqve augmento primitivi morbi avertebant. Tres moriebantur, unus ob metastasin ad pectus cum impedito sputo, duo sub summa debilitate, stupore & maculis sphacelosis.

2. Febres intermittentes numero 33 aderant, plurimæ qvotidianæ, nonnullæ qvartanæ, paucæ tertianæ, interdum sola salina & emeticum curationem absolvebant, sæpius tamen cortice opus erat, in multis vertigo insignis, aut capitis molesta pulsatio paroxysmos comitabatur, vel vices illius subibat, etiam arthriticus dolor vagus sed haud periodicus cum febre alternabat; qvædam continuam febrem biliosam qvatuordecim. diebus passa post emeticum corripiebatur dolore pressorio cardiæ, qvi sangvine ter misso phlogistico cessabat, succedente vertigine periodica per corticem sanata; ad dolorem cardiæ, num

ex impuritatibus aut affecto hepate oriatur, dignoſcendum bene convenit effectus propinati emetici, qvod priorem dolorem tollit, ſaltem minuit, poſteriorem verò non minuit vel auget. Altera tertianam a potione lactis frigidi aqva mixti ſibi contraxerat; juxta conſilium alterius: morbum eodem modo, qvo ortus erat, fugandum eſſe, integram menſuram lactis æqvali copia aqvæ mixtam ingeſſit; vomitus hinc citabatur largus febrem qvidem profugans, verum poſtea & jam per tres hebdomades durans, omnia ingeſta rejiciens, ſibiqve juncta habens tumorem crurum & faciei ſitimqve multam; tinctura rhei aqvoſa ad guttas 60 trihorio exhibita & vomitum & tumorem intra qvatuordecim dies tollebat.

3. Diarrhœæ dyſentericæ paucæ levioris momenti & curatu faciles graſſabantur; majus timebam malum ob ſicciſſimam & calidiſſimam, qvæ prægreſſa erat, æſtatem, ita ut ſoli huic cauſæ freqventia cruenti alvi fluxus tribui neqveat.

4. Febres peripneumoniacæ nonnullæ benignæ indolis; qvidam 47 annorum emaciatus diu pulmonarius devicto hoc acuto morbo pergebat purulenta expectorare; variis fruſtra tentatis oleo asphalti ſanabatur.

5.

5. Paralyſis plena manus dextræ qvinqve hebdomadum ſine cognita cauſa orta cum ſenſibilitatis tanto defectu, ut acus ſat profunde cuti immiſſa ſentiri neqviret, balneo ſtillatitio, cucurbitis ſiccis, urticatione extus adhibitis, intusqve ſumtis eſſentia ſtibii cum ſpiritu lavendulæ compoſito, atqve infuſo florum arnicæ, ſpatio 3 menſium omnino curata fuit.

6. Pauperem fœminam 40 annorum obſtructione hepatis afflictam ungventum neapolitanum cardiæ diligenter inunctum, ſalivationem largam inducendo, ſanavit.

7. Præter ſcorbutum in itinere maritimo contractum, ad ſummum gradum provectum, vir 45 annorum ſimul alio laborabat ſymptomate notatu digno ſc. raucedine & ſenſu obſtaculi in regione laryngis, qvod increſcendo deglutitionem magis magisqve impedivit, ita ut vix liqvida deſcendere potuerint, in faucibus autem nil præternaturale conſpiciebatur; hirudines circa laryngem, veſicatorium nuchæ applicitum, gargariſmata varia nil effecerunt, demum verò ſponte fruſtum puris condenſati ſat magnum fuit exſcreatum, qvo facto reſtituta mox erat deglutitio, & raucedo ſenſim ceſſavit. Hujus ſymptomatis cauſa ſine dubio fuit abſceſſus laryngis, in qvali

recurrente caſu vapor calidus inſpiratus præcipuum emolumentum probabiliter præſtabit.

SECTIONES.

8. Hepatalgia cum duritie perceptibili cardiæ, ibidemqve ſub progreſſu morbi ſentito obſtaculo contra ingerenda, atqve vomitu freqventi virum ſexagenarium qvinqve menſium ſpatio ſenſim conſumſit & demum e vivis ſuſtulit. Aperto cadaveris ventre mox in conſpectum venit vitioſa hepatis conditio ſc. plures tumores ſteatomatoſi, qvidam ovi magnitudinis, alii minores, tam in utraqve ſuperficie, qvam in ſubſtantia ipſa hujus viſceris hærentes; omento minori & pancreati ſimilia peregrina corpora erant annexa.

9. Dolor medii abdominis conſtans apud juvenem 27 annorum jam novem diebus aderat cum obſtipatione alvi, pulſuqve celeri tenſo, bis tantum vena ſecta fuerat; mox camphorata exhibui & ſangvinem adhuc qvater miſi phlogiſticum, unde die 11mo alvus bis ſponte aperiebatur, ſomnus bonus accedebat, dolor fere ceſſabat, pulſus autem manebat admodum celer, die 12 alvus qvinqvies fluxit; die 15to dolor in regione hypogaſtrii acceſſit cum urina parca ſtranguirioſa, pulſus manebat idem valde celer & debilis; emulſio cam-

camphorata, clysma oleosum nullum levamen attulerunt, die 16to urinam largam misit, frigide sudavit, & vespera obiit æger. Aperto defuncti abdomine totum intestinum ileum inflammatum, passim sphacelo correptum inveniebatur; S. romanum aëre valde expansum & antrorsum propulsum, vesica urinaria tunicis solitò crassioribus composita, & urina semiplena.

10. In similem morbum mox post febrem intermittentem, pulvere partim gei urbani, partim corticis peruviani sanatam, incidit vir 30 annorum jam octiduo ægrotans dolore & duritie abdominis, pulsu celeri tenso, obstipata alvo, intercurrente vomitu; qvatriduo inseqventi septies mittebatur sangvis phlogisticus, & camphorata exhibita fuerunt, die 13tio alvus largiter aperta fuit, & flatus bene abierunt, reliqvus morbi status tamen manebat idem, die 15to alvus involuntario fluebat cum delirio, sub cujus continuatione dies 17mus per mortem finiebatur. In abdomine cadaveris multæ & magnæ portiones intestinorum tenuium inveniebantur contractæ simulqve aut inflammatæ aut sphacelatæ, aliæ autem intermediæ intestinorum partes sanæ erant aëre notabiliter expansæ; reliqva viscera sana.

Qvam-

Qvamvis multa dantur inflammationis intestinorum lentæ exempla, etiam sera artis ope curabilia, funestus tamen dictorum casuum eventus, certò certius principio eorundem neglecto adscribendns nos admonet, medicationem, securitatis ergo, haud secus in abdominis, qvam in aliis inflammationibus, festinandam esse, præcipue autem hæc occasio me cautum reddit in spe sanationis inflammationis intestinalis, ex alvi fluxu restituto & decrescente dolore deducta, qvas mutationes non minus per gangrænam letalem, qvam per solutionem morbi salutarem effici fatum nostrorum ægrorum edocuit, celeritas pulsus post apparentem talem restitutionem permanens, qvalis etiam apud nostros fuit, angvem adhuc in herba latentem indicat.

11. Putridis symptomatibus solitis jam per tres hebdomades laboranti juveni 16 annorum mox dedi emeticum, altero die ob cephalalgiam insignem cum pulsu lento, qvem periculosæ ad caput congestionis signum habui, hirudines temporibus applicabantur, aliàs per eccoprotica alvo bene laxato, mixtura camphorata acida exhibita fuit; nilominus 24to die supervenerunt convulsivi corporis motus post se relinqventes immobilitatem brachii dextri, hirudines ideo e novo temporibus, vesicatoria brachiis, epithema frigidum

dum capiti, & mixturæ camphoratæ mofchus apponebantur, ftupor tamen acceffit enormis cum indefinente animi aberratione, fingulari celeriqve oculorum rotatione, freqventi motu convulfivo brachii finiftri, aut verfus oculos qvafi excerpendos, aut ad genitalia fcalpenda directo; caput femper ad latus finiftrum converfum fuit, qvo fitu a nobis in oppofitum mutato, femper citabatur motus ille oculos circumvolvens & brachium finiftrum convellens; preffo itidem oculo finiftro variæ fpafticæ contractiones in faciei mufculis obfervabantur, fub preffione oculi dextri non accedentes: ultimo vitæ biduo fomnus continuus lethargicus aderat cum accelerato pulfu, excrementis involuntariis, deglutitione impedita, fub qvibus die morbi 31mo æger moriebatur. Diffecto cadaveris cranio, vafa meningum fangvine turgidiffima apparebant, ventriculus lateralis finifter nec non bafis cranii enormem copiam feri clari continebant, in cæteris autem vix notabile ferum aderat; nervi optici præfertim, etiam reliqvi nervi e cerebro exeuntes ad originem fuam hydatidibus involuti f. circumdati deprehendebantur. Qvod fymptomata capitis tam in omnibus qvam in acutis morbis eò gravioris momenti judicari debeant, dum fimul pulfus lentus illis annectitur, præfens cafus conteftatur; obfervata enim apud noftrum illa conditione pul-

fus,

ſus, junioribus medicis, mecum ægros noſocomii inviſentibus, timendum prædixi periculum, illudqve congrua, qvamvis inſufficiente pro hac vice, medela avertere conatus fui. Metaſtaſin ad encephalum qvalis non raró putrida febre laborantes interficit, etiam huic eveniſſe ægroto credendum eſt, indeqve ortam fuiſſe effuſionem peregrini & poſt mortem detecti humoris, qvi irritando & comprimendo præcipuum activitatis humanæ organon, primo ſingularia morbi ſymptomata, & demum ipſam mortem produxit.

12. Hydrope anaſarca qvinqve ſeptimanis laboraverat vir 32 annorum cum dyspnœa, tuſſi ſicca, dolore & intumeſcentia regionis hepatis; diureticis variis fruſtra tentatis, regio hepatis ungvento neapolitano omni veſpera inuncta fuit, poſt decem dies ſalivatio incipiens & dein largiter procedens tumorem omnem tam corporis qvam hepatis nec non dyspnœam evaneſcere fecit, verum affulgentem ſpem citò exſtinxit novum infortunium, dens ſc. carioſus nullo modo evellendus ſibi abſceſſum contraxit notabilem, qvi ſimul ob ſalivationem adhuc continuantem oris & faucium tumorem inſignem creavit; deglutitio hinc & reſpiratio magis magisqve impeditæ reddebantur, demum cum ſtupore, delirio, pulſu haud celeri ſed valde debili,

in-

inſpiratione ſingulari, qvam naſalem profundam forſan appellare oportet, illo ſc. peracta modo, & tali cum ſibilatione, qvalis auditur, dum clauſo ore per nares aërem fortiſſima vi inſpiramus, ægroti verò os tamen erat apertum; hirudines temporibus & circa laryngem applicitæ, veſicatorium nuchæ, ſinapismi in ſuris, alviqve laxatio eventum deſcripti ſtatus poſt triduum letalem avertere neqvibant. Aperto cadaveris cranio ſerum invenimus nonnullum inter duram & piam matrem atqve inter hanc & cerebrum ipſum, in omnibus etiam ventriculis & baſi cranii, oſſiculum præterea ungviforme, ſpiculis acutis in utroqve apice præditum, anteriori parti proceſſus falcati infixum erat, nares intus muco ſangvineo obducti, haud vero obſtructi, maxilla inferior ad ſuperiorem adeo fortiter attracta, ut validiſſima vi modo pauxillum dimoveri potuerit; pharynx, larynx & reliqvæ huic pertinentes partes naturalem habebant ſtatum, in pectore pulmo ſiniſter pectori fortiter accreſcebat qvoad poſticam partem rubro-nigreſcens cum tuberculis ſcirrhoſis, pulmo dexter ſanus, nulla extravaſatio, cor ipſum inſignis magnitudinis, in ventriculo ſiniſtro modicum, in dextro autem notabilem habens polypum, longitudine dimidiæ ulnæ, album, craſſum, compactum & fere tendinoſum digitis haud dilacerandum; in abbomine

he-

hepatis ſiniſter lobus debito major ſed naturalis ſubſtantiæ, lien itidem inſignis voluminis, reliqva ſana.

Qvænam fuit origo & qvalis nexus finalium hujus morbi ſymptomatum atqve internarum in cadavere repertarum læſionum? Perpendenti malorum ſeriem vix improbabile videbitur, ſangvinem liqvidiori principio per ſalivationem orbatum, ideoqve fibroſa parte abundantem & magis coagulabilem ſub adjuncta reſpirationis difficultate, qva fluxus e corde in pulmones impediebatur, concrementum generaſſe polypoſum in ventriculis cordis imprimis dextro inventum; ex hac vero cauſa porro declarare licet 1) Profundam atqve ſuſpirioſam reſpirationem tanqvam communem effectum notabilis anxietatis, qva cor in præſenti caſu, contento immeabili preſſum, atqve dilatatum non poterat non inſigni laborare gradu. 2) Pulſum debilem haud celerem, utpote ſeqvelam impeditæ contractionis cordis. 3) Extravaſatum in cerebri cavitatibus ſerum ob cordis jam repleti reſiſtentiam contra deſcendentem a capite ſangvinem, qvi ideo abundans peregrino occupavit loca, atqve preſſione præternaturali ſtuporem ac delirium citavit. 4) Demum ipſam mortem, malo ſc. tam cordis, qvam cerebri

rebri ad gradum vires naturæ prorſus ſuperantem provecto.



OCTOBER.

1. Febre bilioſò-putrida 24 laborabant, nempe 6 leviter 18 graviſſime afflicti; cuidam die 14to, ſymptomatibus bilioſis per evacuantia fugatis, ſupervenit dolor pectoris medii cum reſpiratione impedita pulſuqve tenſo, vena qvinqvies ſecta & veſicatorium pectori applicitum dolorem illum ſine dubio metaſtaticum tollebant, & absqve expectoratione ægrotum ſanabant. Qvædam jam tribus ſeptimanis graviſſime afflicta tam ſymptomatibus vere putridis, qvam alvi fluxu torminoſo valde freqventi per electuarium antidyſentericum noſtrum ab utroqve malo liberabatur; nonnullis metheoriſmum progreſſus morbi intulit, qvod ſymptoma pulvere corticis peruviani cum dimidia parte rhei mixto, ad cochleare minus omni hora alternatim cum mixtura camphorata moſchata exhibito, indeqve alvo modice ſubducta tollebatur; qvinqve e medio ſuſtulit, aut metaſtaſis, partim ad pectus cum ſputo purulento demum impe-

 ſio-

dito, partim ad caput cum delirio & convulſionibus, aut virium ſumma debilitas.

2. Febre intermittente 15 laborabant utplurimum inveterata, aut qvotidiana aut qvartana; in multis unus typus alteri ſucceſſerat, ſc. qvartana qvotidianæ, aut vice verſa. Apud puellam ſex ſeptimanis duraverat talis febris initio qvartana, dein tertiana, ad ultimum qvotidiana, poſt adhibita in noſocomio ſalina & emeticum porrectus fuit cortex, vi cujus loco intermittentis oriebatur vera pleuritica febris; hac per V. Snes & camphoram fugata, oriebatur dolor inſignis conſtans capitis pulſatorius, nec non crurum tumor, veſicatorio nuchæ applicito, ceſſantem cephalalgiam excepit nova pectoris oppreſſio cum tuſſi ſicca, dyspnœa, ſimulqve evanuit tumor crurum, qvibus ideo appoſita veſicatoria pectus reſtituebant, & febrem revocabant regularem, cortice dein ſanatam. Altera continuo febricitabat ſimul laborans dolore pulſatorio regionis temporalis dextræ, qvavis pomeridie recurrente, poſt ſalina & emeticum cortex exhibitus fuit absqve effectu, qvi verò poſt emeſin e novo inſtitutam juvavit; ſimilis procedendi modus ad alterum ſanandum reqvirebatur. Alia vice febri cortice profligatæ ſucceſſit cephalalgia continua, exhibito emetico, illius loco rediit febris, dein per

cor-

corticem debellata & ſanata. Vir 27 annorum poſt febrem tertianam cortice abactam incidit in tumorem œdematoſum crurum, femorum cum aliqvali intumeſcentia regionis hepatis; adhibitis per qvatuordecim dies pilulis ad hydropicos, nec non tinctura rhei cum ſolutione tartari tartariſati, evaneſcentem tumorem ſeqvebatur periodica valde moleſta abdominis expanſio cum aliqvali cephalalgia omni veſpera recurrens; paroxysmum talem, qvater paſſus æger per decoctum corticis peruviani ſanabatur. Puella 24 annorum ſex diebus laboraverat febre pleuritica cum adjunctis ſymptomatibus bilioſis, dolor aderat inſignis conſtans pectoris ſiniſtri & tuſſis ſicca, qvinqvies jam vena ſecta fuit & veſicatorium lateri applicitum; adhuc qvater ſangvinem miſi qvodammodo phlogiſticum, alias exhibita camphorata, kermes decoctum ſenecæ nullum doloris levamen, nec expectorationem produxerunt; die 12 morbi ſupervenit paroxysmus febrilis, poſtea qvotidie reverſus cum diminuto dolore ſub apyrexia, adaucto ſub febre; hinc poſt citatam emeſin dedi decoctum corticis peruviani, qvod & febrem & dolorem pectoris prorſus ſanabat. In alia ægrota febris qvotidiana poſt nonnullos paroxysmos transibat in iſchiadem lateris dextri, applicito ibidem veſicatorio, dolor ex allato loco migrabat in caput, veſicatorio igitur

 nu-

nuchæ appoſito, loco doloris reſurrexit regularis qvotidiana per corticem dein fugata. Ex allatæ epidemiæ febrilis decurſu ſimili, ac in prægreſſis menſibus, adhuc magis patet ſingularis intermittentium cum aliis morbis alternatio vix alio modo comprehendenda, qvam qvod irritamentum febrile talem habeat naturam, ut vel in certis corporis partibus deponi & figi poſſit & tunc varios affectus dolorificos loco febris inducere, vel iterum in maſſam ſangvinis reduci & tunc febrem loco doloris efficere. Porro confirmatur antea notata emeticorum virtus ad febres, qvæ jamjam cortice fruſta debellatæ ſunt, per idem remedium poſt ſperactam emeſin repetitum curabiles reddendas.

3. Tumori crurum duro dolenti, qvem fœmiina 56 annorum per qvatuordecim dies paſſa erat, ſponte evaneſcenti ſucceſſit dolor cardiæ conſtans, attactum ægre ferens, cum intercurrente vomitu, tam ſpontaneo bilioſo, qvam ingeſtorum, nec non obſtipatione alvi, jam undecim diebus durante, qvandoqve adhuc dolebant cura cum levi remiſſione doloris abdominalis: Clysma applicitum alvum aperiebat; miſſio ſangvinis bis facta, mixtura camphorata non acida cum liqvore anodino minerali intus porrecta, linimentum volatile abdomini illitum, & veſicatoria ſu-

ris

ris cum ſuppuratione diu per cantharidum pulverem, ungvento digeſtivo mixtum, conſervata, dolorem abdominis ſenſim tollebant, alvi fluxum liberum reddebant, ſub qva redeunte valetudine ſimul ſurgebant ulcera cruſtoſa capitis, qvalia tamen poſt pueritiæ tempus haud adfuerant.

4. Haud diſſimili dolore conſtanti cardiæ ab attactu parum increſcenti, absqve ullo perceptibili tumore vel duritie per qvatuor hebdomades laborabat vetula ſexagenaria, ſimul freqventer vomens haud ingeſta, ſed materiem mucoſam partim bilioſam, alvum naturalem pulſumqve debilem habens, atqve antea dolores nonnullos artuum, ſub acceſſu hujus morbi evaneſcentes, paſſa, eadem ac in caſu prægreſſo medendi methodus præſentem ſanabat ægrotam ſub exorto aliqvali dolore crurum, qvibus ad præcavendum morbi reditum fonticuli applicabantur. Ex impuritate humorum, variis diætæ vitiis contracta, & in certis corporis pro earundem debilitate connata vel acqviſita depoſita, ſine dubio plurimi morbi chronici ortum trahunt, ſive externi extremitates, aut cutem occupantes, ſive interni, dum viſcera intus locata materies morbi petit; qvamdiu hæc adhuc vaga eſt, aut nullam cujusdam organi deſtructionem, ſed modò merum ibidem dolorem

qvandoqve ſat diuturnum produxerit, ſpes ſanationis ſupereſt per eliminationem nocivæ potentiæ; inter præcipua huic fini congrua auxilia, & mox allatis & aliis multis ſvadentibus exemplis, numeranda eſt ſuppuratio artificialis præſertim partibus externis, affluxu materiæ morboſæ antea moleſtatis, per veſicatoria inducta, diuqve conſervata, utpoteqvæ non modò ad pravos humores e partibus nobilibus derivandos, ſed qvoqve ad eosdem evacuandos inſervit.

5. Chorea, ut dicitur, Sᴄti Viti puellam 13 annorum, poſt ſcabiem ungventis tractatam & pro parte ſiccatam, invaſit; conſtitit hæc in convulſione extremitatum lateris ſiniſtri præſertim ſe exſerente, dum motum membrorum ægra intendebat, ita ut tunc loco voluntarii motus aliæ irregulares agitationes ſurrexerint, & ſub ambulatione corpus ſaltationis adinſtar circumrotare coacta fuerit ægrota. Oleum animale Dippelii ad guttas ſex bis per diem, pulvis e temperantis ſalini camphorati uncia dimidia, lactis ſulphuris drachmis duabus, moſchi orientalis granis ſex ad cochleare minus mane & veſperi, nec non balneum magnum tepidum, qvibus ſcabies primò effloruit, & dein exſiccata fuit, ſenſim morbum diminuebant, & duorum menſium exacto ſpatio, prorſus ſanabant.

6.

6. Dolore abdominis, vomitu & omnium ingeſtorum & ſpontaneo bilioſo, alvoqve laxa octodecim diebus laboraverat fœmina 55 annorum, pulſum inveni debilem haud celerem; varia tentata remedia, emulſionem camphoratam, julapium ſalinum, infuſum radicis ſaleb, animam rhei, nec non reliqva ingeſta evomuit; die 22do morbi lac ſponte appetiit, illudqve ſolum ad menſuras tres nycthemero ingeſtum pro maxima parte retinuit, vomitus nunc rarior reddebatur, & alvus haud adeo freqventer caſeoſa excernebat, die 25to lingva fiebat aphtoſa, accedebat ſingultus, abdomen dein expanſum dolebat, vomitus prorſus ſilebat, alvi laxitas continuabat cum pulſu debili tardo; die 28vo lactis meri pertæſa, illud verò cereviſia mixtum deſiderabat, & poſtea per qvatuordecim dies loco omnis alterius ingeſti adhibebat illo cum effectu, ut omnia allata ſymptomata ſenſim in naturalem ſtatum converſa fuerint, atqve appetitus ad ordinaria alimenta cum vi illa retinendi redierit: Deſcripti morbi phœnomena vix ex alia cauſa, qvam enteritide intelligi poſſunt, verum alvi conjuncta laxitas, & felix eventus ſimul ſvadent, inflammationem haud in muſculoſa, ſed tantum in villoſa ponendam eſſe tunica, qvæ pari modo ac membrana lingvæ, per aphtas ſeparata, ſine ulteriore noxa abſceſſit. Notatu qvoqve

dignus eſt ſingularis ægrotæ inſtinctus ad talia ingerenda, qvæ licet medicis regulis minus congrua, ad morbum tamen adeo utilia & ſalutaria fuerunt, unde deducere licet, appetitui ægrotorum, etiamſi fere abſurdo qvandoqve obtemperandum eſſe, præſertim in iis caſibus, ubi probabile auxilium excogitari neqvit, aut qvævis excogitata & tentata ſpem fefellerunt.

7. Hydrope totius corporis cum tuſſi ſicca & dyspnœa juvenis 24 annorum affectus ſub uſu & bono effectu diureticorum præſertim emulſionis ammoniacalis cito notabile decrementum morbi percepit, dein autem illius inexſpectato reditu corripiebatur, præſertim dyspnœa inſigni, ſuffocationem minante, qvam humoribus hydropicis qvandoqve ad pectus converſis adſcripſi; ideoqve ad eosdem derivandos ſuris applicata fuerunt veſicatoria, unde ſerum diu & tanta effluxit copia, ut reliqvum corpus omnino detumeſceret; ſub finem ſanationis aliqvot paroxysmi tertianæ febris ſupervenerunt ſponte evaneſcentes.

8. Poſt tineam capitis conſolidatam puer 12 annorum diuturno tempore patiebatur efflorefcentiam varicellis non diſſimilem irregulariter in facie & paſſim in corpore

pore præſertim ſub frigore apparentem, verum ſub lecti calore evaneſcentem, oculi qvoqve rubri ſerum acre ſtillabant; veſicatorio nuchæ applicito, ejusqve ſuppuratione diu per cantharides promota, oculi prorſus reſtituebantur; ulcera nonnulla in capite redierunt, reliqvæ tamen corporis maculæ non disparuerunt; ſanationem utriusqve mali perfecerunt pulvis ex antimonii crudi, oculorum cancrorum ppt. ana ſcrupulo ter die ſumtus nec non infuſum theiforme e radicis ſaſſaparillæ, raſuræ ligni ſaſſafras, foliorum ſennæ ſ. ſ. æqvalibus partibus paratum. Notabilis in hoc caſu fuit exanthematis eruptio in corpore frigeſcente, ejusdemqve diſſipatio per calorem, qvia prorſus contrario modo ſe habere ſolent aliæ cutis efflorescentiæ; phœnomeni hujus cauſa ſine dubio fuit certa materiæ perſpirabilis per impuritatem humorum producta ſpiſſitudo, qvæ vi caloris ſoluta transitum per vaſa exhalantia haud impedivit, ſub frigore autem increſcens humorum ſtagnationem, irritationem & exulcerationem procreavit.

SECTIONES:

9. Vir 30 annorum poſt cephalalgiam vertiginoſam aliqvot dierum ſubitò paroxysmo corripiebatur apoplectico poſt ſe relin-

qvente grave delirium & epilepſiam intercurrentem; venæſectiones largæ, hirudines temporales, cathartica, veſicatoria mortem qvarto die a primo inſultu apoplexiæ evenientem avertere neqvibant. Sub diſſectione cranii mox ſangvis multus effluxit; meminges in omnibus punctis valde rubeſcebant cum vaſis turgidiſſimis, atqve inter illas & cerebrum ubiqve inveniebatur inſignis copia ſangvinis partim fluidi partim condenſati, unde ſuperficies externa cerebri pluribus depreſſionibus notata fuit, ventriculi laterales paucum ſerum continuerunt.

10. Puella 25 annorum poſt apoplexiæ inſultum laborabat paralyſi lateris dextri cum plena aphonia, ſtupore inſigni, excrementis involuntariis, qvæ poſt ſex hebdomades & fruſtra omnis generis auxilia tentata in mortem tranſibant. Recluſa calvaria, inveni piam matrem, qvatenus hemiſphærium ſiniſtrum cerebri obtegit, debito magis rubram cum vaſis ſangvine valde plenis, inter hanc & cerebrum aderat ſerum extravaſatum inciſione & preſſione effluens; in margine lobi cerebri poſterioris tam ſiniſtri qvam dextri pia mater inveniebatur craſſa indurata qvaſi e pluribus corpuſculis granoſis duris albis compoſita, ventriculus ſiniſter lateralis inſignem copiam ſeri, dexter paucam continebat, in

baſi

baſi cranii etiam notabilis qvantitas ſeri extravaſati rubelli aderat.



NOVEMBER.

1. Febre климат-putrida 27, modice duodecim, gravius qvindecim ægrotabant; multi ſub finem morbi patiebantur tuſſim criticam; qvidam pro metaſtaſi habuit œdema extremitatis inferioris ſiniſtræ cum tumore duro circumſcripto femoris, cui, ut credidi, ſuppuraturo applicitum fuit cataplasma emolliens, qvo tumor ille ſenſim absqve ulla mala ſeqvela diſſipatus fuit; unus ob impeditam expectorationem moriebatur.

2. Febres inflammatoriæ nonnullæ præſertim pectoris aderant; memorabilis fuit caſus cujusdam juvenis 21 annorum, qvi continuo febriebat cum frigore vago imprimis extra lectum, defectu appetitus, tuſſi & ſputo pauco puriformi, nec non ſudore admodum largo ſemper ad eandem exacte horam ſc. tertiam nocturnam recurrente, & aliqvot horis durante, regularis hujus periodi ergo corticem, ut contra intermittentes, porrexi, verum ſudor ille haud minus copioſus redibat &

ſimul

ſimul aliqvalis pectoris oppreſſio oriebatur; ſepoſito igitur cortice venæſectionem bis inſtitui, & emulſionem camphoratam exhibui; qvibus intra biduum ſudor ille ceſſavit, & pectus dein reſtitutum fuit. Ergo non omnis affectus periodicus, qvamvis regulariſſimo typo notatus, per antiperiodicum corticem ſanandus eſt.

3. Inflammatione inteſtinali apud puellam 22 annorum prorſus fugata, poſteaqve elapſo triduo dedi pulveris rhei, temperantis ſalini camphorati ana drachmam dimidiam, unde largiter alvus fluxit, ſed inflammatio recruduit: Repetita aliqvoties, venæſectione & camphoratis ſanabatur, dolor ſc. prorſus ceſſavit, flatus abierunt, appetitus bene rediit; attamen qvatriduo integro fruſtra exſpectabam alvi aperturam, qvam propriis naturæ viribus non effectam per pulverem nitroſo-camphoratum lacte ſulphuris mixtum & in hoc caſu ſecurum produxi. Monitum contra rhei uſum poſt inflammationem inteſtinalem, qvod ſupra memoravi, etiam præſenti confirmatur exemplo, qvodqve docet, alvi dijectionem ſpontaneam non ſemper eſſe devictæ inflammationis ſeqvelam, ſed artis opem qvandoqve deſiderari.

4.

4. Intermittente febre 17 laborabant potiſſimum qvotidiana, partim qvartana, qvoad initium communiter continua bilioſa. Qvidam tanta etiam extra paroxysmos debilitate ægrotavit, ut modò erectus ſitus in lecto lipothymiam inferret, vel minaretur, ſingularis qvoqve aderat dolorifica rigiditas totius ſpinæ dorſi conſtans; huic veſicatorium profuit, febrem ipſam abegit decoctum corticis peruviani haud tamen unica vice ſed ſenſim paroxysmos diminuendo. Alter per 14 dies qvotidiana afflictus jam ter emeticum ingeſſerat ante introitum, paroxysmi hic apparentes ſumme erant periculoſi cum vertigine, delirio, tuſſi graviſſima, tremore inſigni artuum, atqve duratione ad 12 circiter horas, cortex primo in ſubſtantia dein in decocto, hirundines temporales, veſicatoria brachiorum nec febrem nec ſymptomata juvabant, aut levabant; porrectum igitur fuit emeticum, poſt cujus largum effectum repetebatur decoctum corticis, qvod febrem plene fugavit.

5. Colicam 14 diebus patiebatur pictor 48 annorum cum dolore initio inconſtanti, conſtrictorio, umbilicum occupante ad cardiam propagato & tunc gravem dyspnœam ſecum ferente; dolor hic proximis qvatuor diebus erat continuus, fixusqve circa umbilicum cum obſtipatione alvi, oppreſſione pectoris

toris & debilitate dolorifica omnium artuum; mixtura anticolica noſtra e pulvere foliorum ſennæ, nitri puri, oleo lini, aqva menthæ compoſita initio alvum aperiebat cum levamine, dein autem nullius emolumenti erat; recruduit enim morbus cum vehementiſſimo dolore, tam abdominis, qvam artuum inferiorum, clysma oleoſum, cataplasma emolliens abdomini applicitum, balneatio, laudanum mixturæ oleoſæ appoſitum levamen optatum producere neqvibant; demum ſolutio mannæ unciarum duarum, ſalis anglici unciæ dimidiæ in aqvæ fervidæ unciis qvinqve cum olei olivarum unciis duabus omni hora ad cochlearia duo porrecta alvum ſubduxit, omnes dolores abegit & ægrotum absqve inſeqvente paralytica debilitate ſanavit; laxitas qvidem aliqvalis genuum & malleolorum per aliqvod tempus ſupererat ſponte evaneſcens, qvæ ſine dubio prægreſſis ſummis doloribus, indeqve debilitatis nervis adſcribi debet.

6. Vix diſſimilem dolorem colicum ſutor viginti annorum ſemeſtri ſpatio ſæpius reverſum cum obſtipatione alvi paſſus fuerat. Qvinqve diebus e novo hic dolor aderat, ut credidit æger, e refrigerio revocatus, circa umbilicum hærens conſtrictorius cum vomitu omnium ingeſtorum mox poſt aſſumtionem, ſingultu, alvoqve clauſa, & intolerantia

at-

attactus dolentis partis, pulſum inveni celerem tenſum; altero morbi die chirurgus emeticum præbuerat; ſangvinem & qvidem octies phlogiſticum mitti curabam, emulſio camphorata, & oleum volatile, abdomini inunctum, in uſum trahebantur; hiſce per qvinqve dies factis, flatus abibant & dolor notabiliter remittebat deſcendendo, ut ægro videbatur per femora ad genna, alvusqve ſponte ter aperiebatur; veſicatoria jam ſuris applicui ad dolorem in genubus figendum, qvi etiam inſeqventi biduo ſumme intolerabilis reddebatur, & abdomen reliqvit, dein autem pro parte e genubus transmigravit in abdomen, enormes afflictus alviqve oſtipationem iterum producens; venæſectio bis inſtituta & clysma oleoſum nec dolorem mitigare, nec alvum aperire valebant; hinc propinabatur ſolutio mannæ mox ſupra allata ſimul cum balneatione corporis tepida, unde ſat cito excretio optata largiter promovebatur cum decremento doloris, tam abdominalis, qvam crurum, qvi demum ſub continuata dicta medela plene tollebatur. Poſſibilem hic caſus demonſtrat nexum, forſan ſimultaneum, ſaltem ſucceſſivum colicæ inflammatoriæ, qvæ primam, & ſpasmodicæ, qvæ alteram morbi noſtri partem effecit; qvæ obſervatio non parum ad praxin inſervit, ut ſc. dictorum affectuum, ſibi adeo ſimilium, al-

ter-

ternationem ſignis tempeſtive perpenſis animadvertere, atqve medelam non prægreſſo ſed præſenti morbo accommodare valeamus. Memoriæ etiam commendo dolorem crurum apud ambo allatos ægros, qvi, licet graviſſimus, merum tamen fuit ſymptoma & effectus colicæ, cum hac tantum, non per ſe exiſtens, eademqve ſublata evaneſcens.

SECTIONES:

7. Juvenis 16 annorum poſt febrem putridam, qvæ demum per intermittentem cortice ſanatam terminabatur, manebat fatuus, piger, cephalalgiam qverens; hirudines temporales, veſicatoria, liqvor nervinus nil profuerunt, ſubito enim nocturno tempore ejulare cœpit, atqve enormem qveri cephalalgiam, qvæ poſt dimidiam horam morte terminabatur. Aperto cadaveris cranio inter piam matrem & cerebrum, ſerum invenimus collectum, qvod preſſione harum partium effundebatur, vaſa cerebri ſangvine pleniſſima, omnes ventriculi, imprimis lateralis dexter aqvam continebant, in baſi autem cranii notabilis aderat ſangvinis extravaſati copia. Probabile eſt, in noſtro ægroto per metaſtaſin, qvalis in aliis putrida febre demortuis detecta eſt, ſerum in cerebri interſtitiis depoſitum, ſenſimqve magis collectum preſſione vaſorum

ſorum demum tantam produxiſſe circulationis difficultatem, ut ruptura qvædam notabilis facta fuerit.

8. Hydrops poſt febrem intermittentem diuturnam, cujus paroxysmi nullum ſudorem ſecum ducere ſolebant, exortus fuit, omnes extremitates occupans cum tuſſi ſicca, dyspnœa notabili ſub motu, decubitu tamen tolerabili in omni regione corporis; morbus hic ſex hebdomadum ſpatio in noſocomio duravit nulla medicina juvandus, verum magis magisqve adauctus, verſus finem cum enormi junctus anxietate & inqvietudine, ſitum horizontalem tamen haud impediens, Aperto cadaveris thorace, largum inveniebatur ſerum utramqve cavitatem implens, præſertim pericardium inſignem aqvæ copiam continebat; ipſi pulmones qvodammodo ſani erant, in abdomine etiam extravaſatum ſerum, pancreas induratum deprehendimus. Nonne defectus ſudoris ſub paroxysmis febrilibus hydropis apud ægrotum noſtrum ſubſeqventis cauſa fuiſſet? Vero admodum ſimile videtur, humores ſeroſos, vi febris e ſangvinis maſſa ſeparatos & per ſudorem ejiciendos, propter ſingularem cutis reſiſtentiam aut ſpisſitudinem excernendi in cavitatibus internis effuſos eſſe, ibidemqve collectionem hydropicam generaſſe; etiam in caſu noſtro

notabam tolerabilem ægroti in dorſo & qvavis alia regione ſitum, indeqve diſcebam, intolerantiam horizontalis decubitus non eſſe inſeparabile hydrothoracis ſignum.

9. Dolor totius abdominis conſtans in puella 20 annorum per qvatuordecim dies duraverat ad magnum gradum provectus cum ſingultu, duritie ventris, attactum non ferentis, obſtipatione alvi, pulſu celeri debili; primis poſt introitum diebus ſangvis ter fuit eductus prorſus naturalis, & camphorata exhibita fuerunt, clysma etiam initio injectum largiter ſubduxit alvum, qvæ dein ſponte fluxit, reliqvus tamen ſtatus non mutatus poſtea ſibi annexa habuit vomitum freqventem qvandoqve vermium, cardialgiam moleſtiſſimam & lingvam aphtoſam, qvæ demum poſt tres in noſocomio ſ. qvinqve morbi hebdomades exactas in mortem finiebantur. Recluſo abdomine, in conſpectum venerunt, ſerum nonnullum turbidum fruſtis purulentis mixtum, omentum extenuatum, lividum extus peritoneo, intus inteſtinis accretum, omnia inteſtina, tam tenuia, qvam craſſa per totum tractum colorem atro-rubeſcentem habuerunt, paſſim cruſta purulenta obducta, illorum qvoqve variæ portiones laxius vel firmius, intermedia materia glutinoſa aut filamentoſa, tam ſibi invicem qvam omento, peritoneo, oſſibusqve

busqve pelvis annexæ erant, ſuperficies concava hepatis etiam pure denſo tecta erat, qvod tamen haud ab ipſo hoc viſcere aliàs ſano, ſed ab aliis vicinis partibus provenire videbatur.

10. Simili morbo ſc. dolore abdominis jam duodecim diebus afflictus erat juvenis 24 annorum cum plena obſtipatione alvi & flatuum, ſingultu, pulſu celeri tenſo; qvater jam vena ſecta erat, ſed ſimul varia remedia ad aperiendam alvum a pharmacopœo porrecta, nulla aderant herniæ ſigna: Repetii venæſectionem ad qvinqve vices & camphorata propinavi, mox verò acceſſit vomitus, qvi die 13tio vere ſtercoreus obſervabatur cum inſigni expanſione abdominis, die 14tò reliqvis acceſſit delirium, die 15to dolor abdominis ceſſabat cum intermittente pulſu, vomitu tamen ſtercoreo & ingeſtorum permanente, tentata clysmata nullum effectum produxerunt, die 16to ſub enormi vomitu animam efflavit æger. Aperto cadaveris abdomine expanſo, mox exhalabat vapor putridus, intus inveni omentum nigreſcens, totum duodenum & jejunum valde expanſa coloris pallidi, ſtriis rubris longitudinalibus totum tractum perſeqventibus notata; partem jejuni ileo vicinam nigram ſphaceloſam levi attactu laceratam & ichorem brunnum effundentem,

 to-

totum ileum maxime contractum inflammatione & sphacelo, adeo corruptum, ut minima extensione dissolveretur, cœcum contractissimum ad ovi magnitudinem, colon itidem ubiqve valde angustum, sed absqve inflammatione, mesenterium passim inflammatum. Ex historia & anatome dictorum ægrorum juxta se invicem posita admodum elucescunt duo, qvi enteritidem letalem reddunt, modi sc. suppuratio & sphacelus, nec non intestinorum status & symptomata ad singulas hasce mutationes pertinentia; suppurationi in prima ægrota contingenti juncta erant diuturnior morbi duratio & hecticus progressus, doloris non plena cessatio, restitutio alvini fluxus sub relaxatis per suppurationem vasis antea inflammatis, & demum post mortem apparens ipsa constitutio suppurati intestinorum canalis, qvi, testantibus non minus allato qvam aliis exemplis, haud uti aliæ corporis partes per pus in abscessu collectum, destructioni & consumtioni substantiæ subjectus est, sed materiam purulentam in vasis inflammatis generatam exsudat, illoqve obductus invenitur; sphacelus verò alteri ægroto mortiferus sibi nexa habebat citiorem morbi cursum, invincibilem alvi obstipationem, subitaneam & totalem doloris cessationem, & demum, qvæ extispicium monstravit, intesti-

no-

norum conſtrictionem, mollitiem ſubſtantiæ inſignem, atqve nigritiem.

DECEMBER.

1. Febris biliofo-putrida modò 20 perſonas, qvinqve modice, reliqvas graviter afflixit; tuſſis cum expectoratione morbum apud qvinqve ægrotos finivit; in duabus febri decreſcenti & ceſſanti ſuccedebat dolor crurum ſenſim & ſponte evaneſcens, alteri harum imprimis digiti pedum ſimul exulcerati dolebant. Qvidam pro metaſtaſi habebat tnmorem utriusqve cruris maculis ſcorbuticis notatum gingivis dentium tamen illæſis, tres moriebantur, qvidam ſuſurrum capitis inveteratum ante morbum, & letalem huc verſus ſub morbo congeſtionem paſſus, alter ob impeditam expectorationem, tertia ob ſphaceloſam metaſtaſin valde latam utriusqve femoris.

Dolor colicus, qvi a dolore crurum inceperat octiduo durans, cum opſtipatione alvi vomitu, ſiti, pulſu duro haud celeri, primis poſt introitum qvinqve diebus debellatus fuit venæſectione decies repetita & campho-

 ratis

ratis, verum cum ſymptomatum incremento, freqventiore vomitu bilioſo, imo ſingultu; vix ideo ulteriorem e ſola antiphlogiſtica medela ſpem habens alternatim cum emulſione camphorata exhibui ſolutionem mannato-oleoſam ſupra laudatam, unde alvus per aliqvot dies ſolvi pergebat & omnia ſymptomata ſenſim evaneſcebant.

2. Qvartana febre laborantes ſat numeroſi noſocomium advenerunt, qvorum decem licet difficulter ſanabantur, reliqvi tempus æſtivum exſpectant.

3. Tremor notabilis omnium artuum poſt grave animi pathema indeqve ortum unius diei delirium, viro 39 annorum ſupervenit; facies ſat intenſe rubeſcebat, ſangvinis evacuatio per phlebotomiam & hirudines temporales, laxantia, temperantia, liqvor nervinus epithema frigidum capitis menſis ſpatio tentata morbum vix diminuebant, inſigne autem emolumentum ad plenam fere ſanationem usqve percepit æger e mixtura camphorata moſcho mixta atqve pediluvio ſinapino.

4. E tuſſi phthiſin minante cum ſputo puriformi, raucedine, emaciato corpore juvenis 25 annorum per oleum asphalti ad

gut-

guttas octo mane & vesperi exhibitum nec non jusculum secalinum prorsus sanabatur.

5. Diuturna per moerorem contracta infirmitate cum dolore & palpitatione cardiæ, vomitu freqventi, colore icterico, emaciato corpore fœmina 19 annorum afflicta post absolutum partum adhuc debilior reddebatur, epilepsiam aliqvoties patiens nec non cephalalgiam continuam cum nonnulla mentis aberratione, qvibus demum jungebatur paraplexia s. paralysis extremitatum inferiorum; ita se habens ægrota ad nos ducta per hirudines temporales, temperantia cum moscho & camphora satis cito a motibus convulsivis & cephalalgia liberabatur; permanente autem paraplectico statu; vesicatorium lumbis etiam dupla vice applicitum nil prodesse videbatur, hinc solita remedia antiparalytica in usum trahebantur, intus liqvor nervinus, dein essentia stibii cum spiritu lavendulæ composito, extus cucurbitæ siccæ; frictiones, urticatio, electrisatio, balneatio initio per aqvæ vaporem dein per instillationem frigidam, qvæ sex mensibus æstivis administrata vires artuum sensim reproducebant; nec parum huic conferre videbatur ipsius ægrotæ diligens ad motum conatus, qvo ambulatio qvotidie melior & demum perfecta reddebatur.

6. Arthritis inveterata apud duas puellas ultra annum protracta cum aliqvali intumescentia juncturarum, atqve extremitates tam superiores qvam inferiores ad motum & laborem inutiles reddens, remediis antarthriticis variis imprimis antimonialibus, gvajacinis, balneis diu frustra oppugnata fuit, demum, qvamvis nulla signa prægressa aut præsentia venereæ causæ aderant, mercurialia in usum vocavi, qvæ per largam salivationem sanitatem restituebant.

SECTIONES.

7. Peripneumonia cum dolore totius pectoris dextri, insigni dyspnœa, sputo sangvineo demum impedito, ritis licet adhibitis auxiliis, juvenem 23 annorum nono morbi die necavit, Aperto thorace totus pulmo dexter conspiciebatur admodum ruber, qvoad substantiam valde durus atqve ponderosus, sub incisione multis punctis albis purulentam materiem effundens, extremitas inferior hujus pulmonis mediante crusta puriformi ad diaphragma agglutinata erat, pulmo sinister in parte posteriore erat coloris lividi, aliàs solito laxior, illoqve dissecto materia tenuis brunna effluxit. Licet anatome utriusqve pulmonis læsionem demonstrabat, probabile tamen est præcipuam & primariam morbi

atqve

atqve inflammationis ſedem fuiſſe in pulmone dextro, qvi comprimendo & ſangvinis circulatione reſiſtendo anſam dedit nocivæ ſangvinis accumulationi etiam in pulmone ſiniſtro.

8. Hydrops totius corporis cum tuſſi ſicca dyspnœa magis magispve adaucta, demum cum decubitu in dorſo intolerabili, ſub qvo inſignis cordis palpitatio oriebatur, poſt qvatuordecim ſeptimanas juveni 18 annorum mortem intulit. Aperto thorace ambo pulmones anterius ad coſtas ſpurias per filamenta membranoſa firmiter accreti erant, poſtice in utraqve cavitate largiſſima copia ſeri ſangvinolenti continebatur, utriusqve pulmonis ſubſtantia valde rubra & punctis multis purulentis notata erat, pericardium qvoad duas tertias partes tam arcte cordi coaleſcebat; ut ſeparatio absqve læſione fieri neqviverit. Probabile eſt læſionem pulmonum hydrothoracis fuiſſe effectum, haud cauſam, utpoteqvæ non tamdiu ſine letali eventu protrahi poterat.

9. Simili morbo vir 29 annorum cum tumore extremitatum lateris ſiniſtri poſt ſex ſeptimanas obiit. Apud defunctum ambæ thoracis cavitates largiſſimum ſerum continebant, pulmones ipſi ſani erant.

10. Tertius 45 annorum eodem morbo qvatuor menſibus laborans demum verſus finem horizontalem ſitum tolerare neqvibat, & vomitu freqventi ingeſtorum affectus erat. In utraqve pectoris cavitate largiſſimum ſerum, nec non in pericardio, pulmones autem ſanos extiſpicium cadaveris monſtrabat.

11. Qvartus tantum menſis ſpatio ægrotabat tuſſi, dyspnœa, tumore œdematoſo crurum, dolore ſub ſcapula dextra, ſputo ultimis vitæ diebus ſangvineo. In demortuo cavitas utraqve pectoris largam copiam ſeri ſangvinolenti includebat, lobus parvus pulmonis dextri inflammatus & ſtriis purulentis obductus, tota qvoqve pleura dextri lateris admodum inflammata.

12. Qvintus 39 annorum in itinere maritimo ſibi contraxerat hydropem univerſalem jam ad qvinqve ſeptimanas protractum cum dyspnœa, tuſſi ſicca, adhuc menſis ſpatio in noſomio vixit, optimis fruſtra uſus diureticis, cum incremento dyspnœæ, atqve tumoris brachii dextri, dum ſiniſtrum detumeſcebat, decubitu tolerabili in dorſo haud verò in latere ſiniſtro, nec non aliqvali expectoratione verſus vitæ finem puriformi. Aperto cadaveris thorace pulmo ſiniſter, mediante cruſta mucoſa craſſa condenſata, ubiqve ad

co-

coſtas accretus inveniebatur, atqve in ſuperficie externa tuberculis parvis ſchirrhoſis obſitus, in poſtica parte hujus cavitatis nonnullum ſerum ſangvinolentum aderat; cavitas thoracis dextra enormem ſeri etiam ſangvinei qvantitatem incluſit, pulmo hic ſolito minor etiam tuberculis multis repletus erat.

13. Sextus 46 annos natus ſpirituoſis olim deditus, colicam ſpasmodicam ſæpe pasſus decem, cum ad nos venit, diebus notabili laboraverat anxietate & dyspnoea præſertim ſub motu, adhuc ſitum in dorſo & omni latere tolerante & absqve omni pectoris dolore, neqvidem ſub profundiſſima inſpiratione percipiendo, inſomnia plena, morbum comitata erat, nec non tumor crurum per qvinqve dies, pulſum inveni durum fortem, haud celerem, urinam limpidam naturalis qvantitatis; primis diebus venæſectio ter inſtituta ſangvinem phlogiſticum monſtrans, camphorata, kermes minerale ſine juvamine adhibita fuerunt; dein emeticum & qvidem ſub progreſſu morbi ſæpius cum temporario levamine propinavi; ob dolorem nonnullum crurum accedentem nactus ſuſpicionem arthritidis ſub morbo latentis etiam ſolutionem reſinæ gvajaci & veſicatoria in ſuris diu ſuppurantia præſcripſi, poſtea diuretica, emulſio ammoniacalis, & alia in uſum trahebantur;

ve-

verum dyspnœa anxia magis magispve increvit ſitum horizontalem demum adeo impediens, ut toto ſecundo & ultimo morbi menſe æger ſeſe extra lectum tenere coactus fuerit, nullo ſomno, niſi per laudanum promoto, fruitus. Diſſecto pectoris cavitas utraqve dimidiam ſeri menſuram continuit, pulmo dexter coſtis firmiter accretus erat, ipſa pulmonum ſubſtantia ſana; ſuperficies plana cordis ſolito rubicundior, mediante cruſta puriformi, ad pericardium erat agglutinata, & ſubſtantia ipſius ventriculi cordis ſiniſtri debito magis craſſa & compacta erat.


Hydropis adeò numeroſa exempla, qvorum plura adhuc ſuperſunt, nullus decem annorum, qvibus praxin in noſocomio feci, exhibuit; aëris conditionem, qvæ cauſam hujus epidemiæ, ut ita dicam, hydropicæ prædisponentem & efficientem conſtituit, declarare difficile eſt, ni ſtatuere licet calidiſſimam, qvæ aderat, æſtatem liqvidiorem partem detraxiſſe humoribus, qvi ideo ſub inſeqventi frigore hyemali præſertim intenſiori ad inſpisſationem & ſtagnationem magis proni reddebantur; funeſtus autem fere omnium eventus & impotentiæ remediorum, qvæ tempore æſtivo æqve graves ſanabant caſus, potius vi frigoris, qvam abſolutæ morborum incurabilitati adſcribi debent.

14.

14. Dolor ſub coſtis ſpuriis ſiniſtris prope cardiam a mœrore protracto apud fœminam 48 annorum obortus integro anno magis magisqve increverat, qvinqve ante introitum in noſocomium ſeptimanis exacerbatus, conſtans cum duritie inſigni lapidea affecti loci, appetitu proſtrato, alvo ſegni, emaciato corpore; adhuc decem hebdomadis perdurans hic cruciatus. remediis prorſus reſiſtens, & laudano tantum miteſcens conſumtionem demum letalem induxit. Aperto abdomine hepar inveniebatur ſolito majus & qvoad ſubſtantiam durius, lobi ejusdem minoris margo anterior ſibi annexum habebat corpus peregrinum, ſubſtantiæ cartilagineæ, craſſitiem digiti medii habens, qvo mediante ſuperius peritoneo & inferius ventriculo firmiter adhærebat, totum omentum minus in ſimile corpus craſſum cartilagineum erat degeneratum, pancreas & glandulæ meſenterii admodum indurata, ventriculus inſigniter & inteſtina tenuia ad diametrum calami ſcriptorii contracta, craſſa autem valde expanſa. Vivente ægrota nil præter hepatis ſcirrhum pro cauſa præcipua morbi ſtatui; qvam incerta autem noſtra diagnoſis eſſe poſſit, qvotqve vitiis vix credendis ſubjecta ſit natura humana? Demortuæ anatome monſtravit.

15. Juvenis 29 annorum duodecim, cum ad nos venit, diebus continuo febricitaverat cum cephalalgia & dolore articulari, qvo ante triduum in dyspnœam gravem mutato, bis miſſus fuit ſangvis naturalis; pulſum inveni celerem irregularem, lingvam ſordidam, nec non purpuram albam in pectore manibusqve apparentem; mox veſicatoria ſuris applicita fuerunt, camphorata emulſio alternatim cum kerme minerali intus propinata, altero die maculæ purpureæ evaneſcebant cum incremento cephalalgiæ & dyspnœæ, nec non enormi debilitate, jam moſchus reliqvis remediis apponebatur, & dein, eodem permanente ſtatu, liqvor nervinus aliàs in purpura proficuus loco alterius medicinæ porrigebatur, omnia verò incaſſum, die vigeſimo primo continuus aderat ſomnus, qvi inſeqventi die per apoplexiam letalem finitus fuit. Aperto cadaveris cranio vaſa cerebri admodum turgida reperiebantur, in ventriculis ſerum nonnullum; cerebro autem a tentorio ſublevato, in utroqve latere comparuit ſat larga copia ſangvinis nigri haud coagulati nec non ruptura notabilis ſinus utriusqve lateralis, unde ſangvis exprimi poterat. Raro exanthema miliare noſtris morbis annectitur, verum æqve periculoſum & qvidem ob retrogreſſum ejusdem obſervatur;

vatur; ſingularis ſubtilitas & forſan acrimonia materiem hujus papulæ & ad facilem e cute reſorptionem & ad depoſitionem in vaſis minimis nervorum, atqve encephali eorumqve funeſtam læſionem disponere videtur; ita agenti apud allatum ægrotum retrogreſſo miasmati inſignem virium jacturam, irritationem cerebri indeqve productam letalem ſangvinis in capite accumulationem adſcribere vix dubito.



ANNUS 1784.

MENSIS JANUARIUS.

1. Febris biliofo-putrida perfonas viginti tres & qvidem octo modice, qvindecim graviter afflixit, eorumqve qvatuor e vita fuftulit; in qvodam ægroto poft parotidem, cujus fuppuratione morbus terminatus fuit, confolidatam novus ibidem furrexit tumor rubens, cui aqva vegeto-mineralis applicita fuit, qviqve demum poft menfis fpatium fub continua exfudatione ferofi fluidi pone aurem affecti lateris evanuit.

2. Intermittente febre maxime qvartana non pauci ægrotabant, morbus hic utpote jamjam inveteratus & ob hyemale tempus curatu difficilis diuturna per digeftiva præparatione, nec non protracto corticis ufu ad difpofitionem febrilen nervis inhærentem eradicandam, ejusdemqve omnia & minima veftigia fecuritatis ergo delenda opus habuit, qvan-

qvandoqve demum vernale tempus curationem reddidit poſſibilem; contigit etiam mihi obſervare ſingularem qvartana laborantium aptitudinem ad infectionem a putrida febre ſuſcipiendam, verum absqve ſalutari influxu in qvartanam, qvæ qvidem ſub acuta febre disparuit, hac autem ſanata recurrit. Qvædam tertianam partim ob adjunctum hydropem, partim ob recidivantem indolem per octo menſes paſſa ſimul qvadrimeſtri ſalivatione ſpontanea notabili absqve ſignis ſcorbuti aut obſtructi pancreatis laborabat; indifferens etiam hoc ſymptoma fuit, febrem non minuens diuqve poſt eandem ſuperſtes.

3. Hydropica 44annorum præter tumorem univerſalem ſemeſtrem ſimul dolore cardiæ preſſorio, dyspnœa, diarrhœa torminoſa affligebatur; ungventum neapolitanum tenuiter regioni cardiæ inunctum; pulvis radicis gei urbani pro ſedanda diarrhæa & alias infuſum juniperinum, anima rhei, oxymel ſcilliticum cum mucilagine gummi arabici junctum, ſpiritus ſalis dulcis ſucceſſive juxta diverſum morbi ſtatum adhibita mox aliqvalem, mox nullam ſanationis ſpem dederunt. Qvarto ſub his tentaminibus elapſo menſe poſt prægreſſa qvædam veſtigia febrilia, qvæ ipſi naturæ tanqvam utilia conamina commiſi, & ſponte evaneſcentia oriebatur ſu-

dor totius corporis largus per tres hebdomades continuas, ſub qvo & alvus reddebatur naturalis & tumor omnis ceſſabat; reſtitit qvidem levis hepatalgia ſucco recenti herbarum ſanata. Sudorem hunc licet raram tamen veram fuiſſe criticam hydropis evacuationem nemo eſt, qvi dubitabit; qvin imo illud exemplum continet rationem e ſimili excretione in aliis caſibus accidente æqve fauſtum ſperandi eventum, qvem partim adminiſtratæ medicationi atqve per illam reſolutis & evacuationi adaptatis humoribus, præſertim forſan aëris conſtitutioni vernali adſcribendum eſſe puto; raro occurrunt hydropici, ubi immutatio & conditio humorum, qvæ ad ſanitatem reſtituendam convenit, adeo manifeſto apparet, ac in noſtra ægrota, ſc. eorundem tanta attenuatio & reſolutio ut vias excretorias permeare valeant, unde deducendum eſt, contrariam humorum indolem ſive ſpiſſitudinem non minus in multis aliis caſibus ac in præſenti proximam hydropis cauſam efficere.

4. Poſt conſolidatam efflorescentiam cruſtoſam utriusqve cruris apud fœminam 52 annorum ſurrexit dolor, initio fixus in malleolis cruris ſiniſtri, dein vagus in reliqvis juncturis ejusdem lateris; ultra annum afflictio hæc duraverat & ambulationem impe-

dive-

diverat, freqventer præsertim in malleolis gravissime exacerbata & tunc spasticum s. involuntarium cruris & pedis motum secum ferens, nnnqvam tamen in loco dolenti observabatur tumor aut alia visibilis læsio. Tempore, qvo in nosocomio suscepta fuit ægrota, dolor in lumbis & ischio sinistro hæsit; intus propinata camphora & vesicatorium furæ applicitum dolorem ad crus derivabant, haud autem minuebant, dein balneum vaporis & solutio gummi gvajaci aqvosa in usum tracta verum absqve levamine fuerunt, postea cataplasma emolliens dolenti loco admotum mitigationem & transitum mali ad ischium produxit; nunc juxta mentem Cotunnii furæ externæ ad aliqvot pollicum distantiam infra genu applicui vesicatorium, cujus suppuratio ungvento basiliconis pulvere cantharidum mixto per octo dies conservata dolorem omnem fugavit & vim ambulandi integram restituit. Probabile est materiem acrem, qvæ cutem eroserat, ad interiora conversam ipsos nervos immediate aggressam fuisse, itaqve non modo cruciatus enormes, sed etiam facultatis motricis jacturam intulisse, nec minus verosimile est suppuratione per cantharides inducta & tamdiu protracta morbosum illud irritamentum eliminatum fuisse; crebro in aliis sed frustra contra ischiadem tentata. Cotunni methodus sine dubio nostræ ægrotæ

profuit, qvia acrimonia dolorifica, qvæ vagando volatilem ſuam indolem perdidit, ad evacuationem aptiòr fuit.

5. Ab ictu miles 24 annorum corripiebatur dolore regionis lumbaris ſiniſtræ, qvi jam qvatuordecim diebus duraverat absqve mutatione externa, tamen tanto gradu ut nullius trunci aut extremitatum inferiorum motus poſſibilis vel tolerabilis fuerit; venæſectio pluries inſtituta, cucurbitæ cruentæ, veſicatoria, camphorata nullum levamen produxerunt; ſemicupium aliqvoties adhibitum in melius ægroti ſtatum adeo mutavit, ut femore dextro per manum antice poſitam corroborato qvodammodo ambulare potuerit; hoc autem fulcro ablato corpus ſponte antrorſum ad lapſum usqve inclinaret; prima vertebra lumborum, ubi ictum paſſus erat, tamen dolere perrexit & attactum tolerare neqvivit, verum absqve viſibili læſione, indeqve dolor ægroto extendi videbatur ad regiones iliacas & ingvinales, qvando ſc. ſedebat aut decumbebat, haud vero in ſitu erecto; nunc præter ſemicupium, inunctio primò per oleum volatile, poſtea per ungventum neapolitanum, atqve intus pilulæ reſolventes e ſapone veneta, extracto cicutæ, gi ammoniaco, kerme minerali paratæ, dein ſolutio gummi gvajaci aqvoſa, extractum

aco-

aconiti, verum absqve juvamine adhibita fuerunt; qvinimo ſimul acceſſit dolor in criſta oſſis tibiæ dextræ ſenſim adauctus, oſteocopus, cum aliqvali tumore ipſius oſſis; jam venereum aliqvid pertinaci morbo ſubeſſe credens propinato mercurio largam ſalivationem menſis ſpatio protractam ſuſcitavi; cum autem ſub eadem exoſtoſis & magnitudine & dolore increverit, nec non maculæ lividæ numeroſæ crurum ſcorbutum manifeſtantes apparuerint, loco ulterioris per mercurium tentaminis antiſcorbutica, ſerum lactis, ſuccus recens herbarum in uſum tracta fuerunt, & exoſtoſi cataplasma e mica panis cum aqva vegeto-minerali applicitum, qvibus poſt tres hebdomades æger ita reſtituebatur, ut modò ſupereſſet priſtinus lumborum dolor cum impotentia flectendi corpus, qvi poſt dictas medicationes ultra ſeptem menſes inſtitutas non mutatus manebat; ultimum nunc factum fuit experimentum per fonticulum ad latus dolentis vertebræ applicitum, cujus ſuppuratione larga lumbi ſenſim meliores reddebantur, motusqve corporis & ambulatio poſt qvinqve hebdomades adeo perfecta, ut æger ad exercitia militaria prorſus idoneus noſocomium reliqverit. Memoriæ commendandam obſervationem duplicem continet ille caſus, alteram de exoſtoſi & qvoad originem ſcorbuticam, qvæ rara eſt, & qvoad ſanationem im-

primis per cataplasma ſaturninum peractam notabili, alteram de efficacia ſonticuli prope vertebras diuturna labe affectas appliciti, cujus adminiculi utilitatem eo magis demonſtrat & confirmat noſtri ægroti exemplum, qvo plura remedia illi oppoſita erant & qvo pertinacius eidem reſiſtebat gravis ille momenti morbus.

6. Diarrhœam jam trimeſtrem nauta 32 annorum in inſulis Americanis ſibi contraxerat cum dejectione freqventi ad triginta vices nycthemero, mucoſo-ſangvinea, teneſmo, dolore medii abdominis, cui tribus ſeptimanis tumor œedematoſus crurum junctus erat, attamen ſapor, lingva, appetitus naturales inveniebantur; variis remediis fruſtra tentatis pulvis radicis gei urbani ad cochleare minus, initio omni hora, dein rarius propinatus poſt aliqvot hebdomades ægroti rem eo perduxit, ut tantum qvater vel qvinqvies alvus evacuaretur nychtemero, qvali reſtitutione contentus & in reliqvis ſanus noſocomio exiit æger; præterlapſo autem tempore brevi rediit gravi afflictus peripneumonia, ſub qva prægreſſa diarrhœa prorſus ſilebat; perſanato autem pectoris morbo alvi recurrebat fluxus; repetitus ideo gei pulvis utilitatem nullius momenti produxit; nunc radicis ipecacuanhæ ſcrupulus exhibitus vo-

mitum

mitum largum citavit, qvo facto & diarrhœa nihilominus persistente tertiam partem grani ipecacuannhæ facharo mixtam trihorio sumendam præscripsi, unde alvus post aliqvot dies naturalis reddebatur succedente dolore primò lumborum dein totius spinæ dorsi, qvi applicitis cucurbitis cruentis transiit in dolorem humeri sinistri redeunte simul nonnulla laxitate alvi, qvapropter ipecacuannhæ dosis ad granum dimidium bihorio ingerendum augebatur cum optato effectu in sistenda diarrhœa, dolor humeri autem permanebat & qvidem me svadente sibi ipsi per aliqvod tempus relictus, atqve demum apposito vesicatorio sublatus absqve reversione cujusdam incommodi abdominalis. Singularis, cujus exemplum allata historia tradit, morbus ob convenientiam symptomatum essentialium non immerito dysenteriæ & qvidem lentæ ob durationem insolitam nomen meretur; plures, qvi juxta ordinem temporis in posterum memorandi sunt, ejusdem indolis casus mihi obvenerunt & qvidem omnes in itinere maritimo diuturno ab India occidentali vel orientali oborti. Num aqvæ corruptæ, aut aliis diætæ vitiis sc. crudis alimentis, perspirabili materiæ introrsum versæ illud adscribendum sit malum? Certo stabilire vix audeo; probabile saltem est apud nostrum ægrotum, materiem acrem primis viis inhærentem

M 4 morbi

morbi cauſam, qvæ, inteſtinis per laudata remedia contractis & roboratis, ad externas corporis partes propulſa ſalutarem diarrhœæ transitum in dolores arthriticos produxit.

7. Debilitate & contractione involuntaria extremitatis inferioris dextræ puella 12 annorum per qvatuor menſes continuo afflicta fuerat, ita ut genu antrorſum ad abdomen, pes autem retrorſum poſita eſſent, illeqve ſitus haud vi ægrotæ propria, attamen aliena mutari poſſet. Præterea ante decem dies paroxysmus levis epilepticus ſupervenerat, ſub qvo, non ſæpius tamen reverſo, protruſa lingva ad notabilem diſtantiam extra os adhuc hærebat, nec retractionis vi ipſius ægrotæ, nec aliorum reponendi conatibus obediens, illaqve e cauſa loqvelam imperfectam & deglutitionem difficilem fluida, modò admittentem, inveniebamus. Hiſce juncta erant ſcabies diuturna, ulcera tineoſa capitis inunctione varia tractata, intercurrens abdominis dolor punctorius, vermes etiam evacuati erant. Oleum volatile collo inunctnm & infuſum ſalviæ cum qvarta parte mixturæ acido-camphoraræ freqventer in ore contentum lingvæ ſitum ſenſim & poſt qvinqve dies perfecte naturalem reddiderunt, ita ut faucium functiones rite peragi potuerint; contra ſuperſtitem femoris affectum cum ſcabie & ſu-

ſpectis

ſpectis vermibus balneum tepidum intusqve pulvis vermifugus cum dimidia parte florum ſulphuris ad cochleare minus ter per diem adhibita menſis ſpatio ægrotam noſtram prorſus ſanabant. Incertum fuit, num vermium irritationi per conſenſum agenti, aut acrimoniæ per morbum cutaneum generatæ nervos aggredienti allata ſymptomata ſingularia eſſent tribuenda? Hoc dubitans connubium medicaminum utriqve poſſibili cauſæ convenientium aptum judicavi, ſpeiqve reſpondens eventus & eligendi llam regulam congruam probavit, & exemplum in ſimilibus caſibus imitatione dignum mihi exhibuit.

SECTIONES:

8. Arthritidi evaneſcenti apud virum 44 annorum ſucceſſerat ſtatus valetudinarius jam diu durans cum tuſſi ſicca dyspnœa, tumore œdematoſo crurum; adhibitis licet variis diureticis increvit dyspnœa decubitum in omni corporis regione impediens & anxietatem præſertim incipiente ſomno, cui æger valde deditus erat, inducens, atqve demum poſt aliqvot menſes per mortem finita. Aperti pectoris utraqve cavitas imprimis dextra inſignem copiam ſeri clari continebat; ambo pulmones tuberculis parvis repleti, pericardium abundantem aqvam includens, cor præternaturali

magnitudine gaudens, hepar induratum, tuberculis granulosis qvasi compositum, lien durus, glandulæ mesentericæ debito majores, qvædam nucleos referentes inveniebantur. Descriptam hanc viscerum læsionem a materia arthritica intus collecta deducere haud difficile est.

9. Dyspnœa etiam sat molesta cum tussi sicca, decubitu tamen in dorso & lateribus tolerabili, fœmina 30 annorum & gravida qvatuor septimanis affligebatur; pulsus erat celer, durus, nullus verò extremitatum aut faciei tumor; plus simplice vice missus sangvis phlogisticus, initio camphorata exhibita, vesicatorium pectori applicitum, dein kermes minerale, emulsio ammoniacalis juvamem non attulerunt, morbus verò incrementum cepit cum decubitu in dorso intolerabili & palpitatione cordis notabili, septem hebdomadis ita elapsis fetum vivum enixa est ægrota & post duos dies exspiravit. In defuncta ambæ cavitates thoracis sero multo abundabant, illius autem præcipua & insignis copia in pericardio continebatur; in reliqvis nullum vitium detegimus. In historia hujus ægrotæ nulla mihi relata fuit occasio hydrothoracis originem declarans; palpitatio cordis a nonnullis tanqvam signum pericardii hydropis æstimata, non raro tamen juxta meam experien-

rientiam abſens, noſtram ægrotam urgebat, forſan qvia circulationis impedimentum merito talis palpitationis cauſa habendum, per compreſſionem vaſorum ab utero gravido augebatur.

10. Ab ictu regionis lumbaris apud virum 31 annorum ortus erat dolor internus renum nec non abdominis jam qvatuor ſeptimanis protractus ultimo tempore cum frigore freqventi, debilitas aderat inſignis cum pulſu celeri, parvo, urinaqve purulenta; triduo apud nos commoratus æger moriebatur. Aperto illius abdomine hepar enormis magnitudinis prope veſicam felleam inflammatum inveniebatur; ren uterqve intus multum pus continebat & in ſacco purulento, qvi e membrana renum adipoſa in pus converſa formatus erat, natabat. Saltem ad diagnoſin & prognoſin in ſimili caſu confirmandam hic caſus mihi inſerviet.

FEBRUARIUS.

1. Febre putrida tantum undecim afflicti erant, qvorum unicus moriebatur.

2. Febres pleuriticæ nonnullæ benigni moris & omnes ſanatæ.

3. Febres intermittentes varii typi maximum habebant numerum, Harum dimidia pars emetico & ſalinis remediis ſanabatur, altera ſimul corticis ope indigebat: qvædam ſibi junctam habuit diarrhœam, qva poſt uſum ipecacuanhæ perſiſtente pulverem radicis gei urbani præbui illoqve diarrhœam ſedavi, ipſa vero febris ſuperſtes cortice peruviano tollebatur.

4. Iſchias poſtica, in qva ſc. dolor a regione iſchii per exteriorem partem femoris & cruris ad pedem extendebatur, fruſtra ſolutione gummi gvajaci, veſicatorio ipſi iſchio applicito, balneo vaporis per menſem adhibitis debellata, ſuppuratione juxta mentem Cotunni in ſura affecti lateris per cantharides inducta & aliqvot diebus ſuſtentata tollebatur.

5. Dolor pectoris fixus, diuturnus cum nonnulla tuſſi absqve febre apud nautam adhibitis venæſectione ſæpius inſtituta, veſicatorio, camphoratis ne minimum qvidem mutatus aut minutus fuit; tandem gingivarum indoles cruenta apparuit & crura doluerunt tamen absqve maculis; incipienti ideo ſcorbuto totum ſymptomatum complexum adſcri-

ſcribens remedia huic morbo congrua ſc. elixirium antarthriticum & acetum ſqvilliticum ana ad guttas 60 ter per diem, nec non infuſum trifolii fibrini propinavi, qvibus æger noſter ſat brevi tempore convaluit; talis ideo dolor pleurodyne ſcorbutica nominari meretur.

6. Tuſſis cum dyspnœa & ſputo mucoſo ſutorem 26 annorum magis magisqve debilitabat atqve demum expectorationem producebat purulentam, tumorem crurum nec non tantum reſpirationis impedimentum, ut in ſitu erecto extra lectum diu noctuqve ſedere coactus fuerit æger; kermes minerale, gummi ammoniacum, radix ſenega, oleum asphalti ſucceſſive in uſum tracta nec non juſculum ſecalinum progredienti morbo non obſtabant; etiam maculæ lividæ in cruribus apparentes ſuccum herbarum recentem, poma citrina, ſerum lactis propinanda ſvaſerunt, qvæ autem vix tentata rejecit & ſibi intolerabilia declaravit æger; morbo ſic per duos menſes protracto inter ſputum purulentum comparuit materia fundo vaſculi adhærens, ſat larga, lateritia, initio rubro-flaveſcens dein albeſcens, qvæ ultra octo dies qvantitate tamen ſenſim minuta expectorata fuit; reliqvis tamen ægroti ſtatus non melior nil niſi mortem exſpectare me fecit; æger autem ipſe ſub miſeriis hiſce licet qvam maximis

mis nondum deſperans vitamqve vehementer exoptans ſingulari qvaſi inſtinctu medicamenta, qvæ antea contemſerat, poſtulabat; hinc potius illius deſiderio qvam ſpe cujusdam effectus commotus præſcripſi mixturam e ſpiritus ſalis dulcis, aceti ſqvillitici ana drachmis duabus aqvæ meliſſæ unciis ſex, ſyrupi altheæ unciis duabus ad cochlearia duo majora bihorio ſumenda; adhibita per aliqvot dies hæc medicina ſalutarem ſe præſtitit, urinam reddendo largiorem, ſputum facile, ſomnum qvietum, etiam in lecto, tumoremqve minorem; qvodnam morbi decrementum menſis ſpatio prorſus abſolutum ſanitatis voti ægrotum compotem fecit; laudes verò hujus eventus allatæ mixturæ tribuendas eſſe, adhuc magis ſeqvens probat experimentum, qvod ſc. illius loco ſub decreſcente morbo præbuerim emulſionem ammoniacalem aliàs in ſimili caſu efficacem, cujus uſu æger malum ingraveſcere ſentiit, priſtinamqve ipſe petens repetiit, & ad integram valetudinem recuperatam continuavit. Concrementa calculoſa & per tuſſim ejecta, & in pulmonibus demortuorum obſervandi mihi aliqvoties data fuit occaſio; hæc autem re vera erant calculi compacti piſi circiter magnitudinis; ſtamina verò calculi, qvalia noſter æger expectoravit, me antea vidiſſe neſcio, utriusqve tamen vitii præcipua origo eadem & æqve probabilis habea-

beatur ſingularis ſic dictus error loci, qvo prima calculi elementa naturaliter in circulantibus humoribus generata & contenta haud juxta ſanitatis ordinem per urinæ colatorium evacuantur, ſed ſuccis pulmonum commixta in folliculis eorundem deponuntur, ibidemqve vel ſabuloſam collectionem, qvalem urina ſæpe continet, vel verum calculum progignunt. E tali peregrina materie pulmones magis magisqve irritante facile eſt allatum morbum, ejusdemqve integrum progreſſum & augmentum declarare; verum etiam probabile eſt, irritamenti hujus ſolutionem & evacuationem non parum contuliſſe imo neceſſariam fuiſſe ad inſeqventem ſanationem aptis remediis peractam.

7. Hyſterica cardialgia nec non dolore abdominis raro & breviter remittente, qvo ſigno ſolo inflammationis abſentia indicabatur, ultra qvatuor ſeptimanas cruciata qvadragenaria variis aliis antihyſtericis fruſtra adhibitis aqva menthæ vinoſa ad cochlearia duo majora initio ſola dein cum liqvoris nervini guttas viginti ſæpius per diem ingeſta ſanabatur.

SECTIO.

8, Iſchii ſiniſtri dolore ſartor 25 annorum, cum ad nos venit, tribus menſibus laboriosus

boraverat cum impedimento motus ſat notabili, doloris extenſione ad genu & crus ejusdem lateris, nec non tumore nonnullo duro glandularum ingvinalium. Varia antarthritica & reſolventia intus exhibita ut ſolutio gummi gvajaci, eſſentia ſtibii, extractum aconiti, pulvis alterans, pilulæ ſaponaceæ, extusqve applicita oleum volatile, ungventum neapolitanum, balneum vaporis, emplaſtrum cicutæ, cataplasma emolliens nec ad minuendum morbum, nec ad incrementum illius avertendum inſerviebat; ſed tumor ingvinis magis magisqve volumine & duritie augebatur cum plenaria immobilitate femoris; ſub finem menſis qvinti tumor œdematoſus extremitatis inferioris ſiniſtræ acceſſit ſenſim major & demum enormis; ſexto menſe exacto impediebatur diureſis, parce & rarò ſponte procedens, ſæpius cathetere promovenda; abdomen ſimul valde expandebatur & alvus non niſi clysmate & qvidem difficulter fluebat; hiſce demum ad novem menſes protractis miſeriis indeqve productæ ſummæ corporis contabeſcentiæ finem impoſuit optata mors. Aperto cadaveris abdomine invenimus inteſtinum colon per totum tractum enormiter ultra volumen brachii adulti expanſum, colon deſcendens, S romanum & inteſtinum rectum ſurſum compulſa, ita ut curvatura inteſtini, qvæ in pelvi locum

na-

naturalem habet, prope ventriculum posita esset, hujus situs causam constituebat tumor enormis ultra dimidiam partem cavitatis pelvis sinistram & iliacam implens, in ingvine notabiliter protuberans, continuus cum ipsis vicinis ossibus sc. superficie interna ossis ilei, osse ischio, & acetabulo, substantia illius cartilagineæ simillima partem sibi annexorum ossium, qvæ pro altera parte cariosa erant, in naturam suam commutaverat. Immedicabile hoc malum miram degenerationis facultatem corporis humani demonstrat, modus vero ipse, qvo talia monstrosa producta nascuntur, omnem imaginationis vim superat.



MARTIUS.

1. Febris bilioso-putrida paucos invasit, septem modico & alios septem graviori gradu, horum tres metastasin ad pectus salutari expectoratione finitam patiebantur; cujusdam vehementissimo morbo successit obnubilatio visus vesicatorio nuchæ diu suppurante sanata; unicus scorbuticus & inveterata tussi affectus hac febre moriebatur.

2. Febris pleuritica non rara, apud duos ſuccedente tertiana ſolvebatur, notabilior verò ejusdem tranſitus obſervabatur in viro jam per ſeptem dies dolorem totius pectoris dextri, tuſſim ſiccam & dyspnœam inſignem patiente; gradus doloris & nondum incepta expectoratio me moverunt, ut inſeqvènti octiduo ſexies miſerim ſangvinem, qvi phlogiſticus erat, veſicatorium præterea camphorata, kermes minerale in uſum tracta modicum tantum doloris levamen, nullam verò expectorationem aut aliam morbi criſin produxerunt, demum die 17mo morbi afflictio pectoris evanuit ſub exorto dolore iſchii dextri, qvi brevi tempore per veſicatorium ſuræ dextræ applicitum tollebatur. Qvod altera occaſione monui, confirmat hoc exemplum. ſc. inflammationes pectoris qvandoqve rheumaticam habere cauſam, ideoqve venæſectionem initio neglectam ſerius tamen inſtituendam permittere imo reqvirere, imprimis qvando nulla præſens expectoratio ut in noſtro ægroto metum facit impediendi criſin per phlebotomiam debilitantem.

3. Febris intermittens potiſſimum regnabat, in plurimis emetico & ſalinis qvandoqve pauco rheo mixtis ſanabilis; cortice interdum opus erat, illiqve non ſufficienti repetitum emeticum ſanandi viam parabat. Symptomata

mata obſtructi hepatis per reſolventia remedia in febrem intermittentem mutabantur; apud alios dolor artuum vagus poſt febrem ſuperſtes ſucco recenti herbarum tollebatur. Qvædam pulvere oſtrearum largiter in cerevifia ſumto febrem fugavit, ſuccedente frigore continuo dorſi cum diarrhœa & tumore œdematoſo faciei atqve extremitatum inferiorum; pulvere rhei mox ſiſtebatur ille fluxus & dein per aliqvot dies adhibitis anima rhei atqve pilulis ſqvilliticis febris ipſa redibat, ſolita methodo breviter ſanata. Hydrops anaſarca jam notabilis, ſeptem hebdomadas durans, febri intermittenti dimidii anni ſucceſſerat; diureſi per cremorem tartari & infuſum juniperinum mox inſigniter adaucta indeqve hydrope decreſcente provenerunt motus febriles initio modici, irregulares, cum ſudore nocturno, deinceps autem omni tumore fugato regularis & gravior reddebatur febris, cortice peruviano tractata & ſanata, ſuccedente tamen novo œdemate crurum, continuatione ſolius corticis absqve diureticis abacto. Altera qvartanam inveteratam per piperem contuſum in ſpiritu frumenti ſumtum ſuffocaverat, qvo facto mox oppreſſio cardiæ cum dyſpnœa, tumore notabili extremitatum inferiorum atqve faciei exorta erat & jam per tres hebdomades protracta; mixtura compoſita e cremoris tartari ſolubilis ſesqvi uncia,

animæ rhei uncia dimidia, aqvæ petroſelini unciis octo ad cochlearia duo majora ter qvaterve die porrecta cito diureſin augendo tumorem notabiliter diminuebat, poſteaqve febriles ſurgebant motus, tumore dein ſublato loco prioris medicinæ contra permanentia obſtructi hepatis ſigna dedi animam rhei & ſolutionem tartari tartariſati ad partes æqvales, donec ſola ſupereſſet febris, qvæ tunc cortice peruviano ſanabatur, verum etiam hic ut in mox antecedente caſu reſurgebat crurum tumor rubens, dolens, qvem tanqvam ſcorbuticæ indolis ſucco recenti herbarum proſpere oppugnabam. Sat notabilis, qvæ his hiſtoriis demonſtratur, mihi videtur hydropis cum intermittente febre alternatio, ſeu tranſitus febris aut ſponte ſua aut præſertim male tractatæ in hydropem, hujusqve itidem imprimis rite curati, reverſio in febrem; nonne ex infarctu hepatis febri intermittenti freqventer juncto, ideoqve bilis defectu naſci hydropem ſtatuere licet? Nonne abundans atqve inſpiſſatum ſerum partes ſolidas nervosqve ad agitationes febriles inepta reddere valeret? Qvonam obſtaculo iterum ablato vires motrices priſtini febrilis actus capaces fierent. Praxi verò inſervit attentio ad methodum noſtris ægris proficuam, mihiqve aliàs uſitatam, ſc. reſolventibus & diureticis tamdiu inſiſtere, ipſamqve tolerare febrem, donec hydropi-

cus

cus ſtatus vel obſtructi viſceris ſigna qvodammodo ceſſaverint.

4. Salivatio ſimul cum odontalgia dein evanida proveniens absqve ulla ægrotæ cognita cauſa jam per tres hebdomadas duraverat, largiſſima cum excoriatis lingva, ore & gingivis, dentium vacillatione & impedita maſticatione; veſicatorium nuchæ & exhibita laxantia nullum levamen morbi produxerunt; verum collutorium ex aqvæ roſarum unciis ſex, mucilaginis ſeminis cydoniorum unciis duabus, liqvaminis myrrhæ uncia dimidia, nec non pediluvium repetitum ſenſim illam excretionem tollebant, illius verò locum ſubiit dolor aurium imprimis ſiniſtræ veſicatorio in nucha repetito, ejusqve ſuppuratione per aliqvot dies promota fugatus, vel forſan potius mutatus in dolorem brachii dextri, ad qvem per vaporis balneum & alia antarthritica ſanandum ſat diuturno tempore opus erat. Rara hæc fluxus rheumatici ſpecies utpote ad alia loca occupanda inclinans cautum ſvadet adſtringentium uſum, ne excernenda materies nobiliores petendo partes majus inferat periculum.

5. Dolor trimeſtris totius abdominis conſtans, nec non lumbago cum alvo ſegni non niſi per clysmata aperta, fruſtra ab aliis

medicis tractata, proximis tribus ſeptimanis jungebantur cum nonnullo dolore & debilitate utriusqve brachii, qvo ſymptomate ad materiæ arthriticæ inteſtina moleſtantis ſuſpicionem ductus, expellenti ſcopo præſcripſi mixturam camphoratam cum liqvore anodyno minerali, qva ſimplici medicina bihorio omni ſumta intra paucos dies alvus reddebatur naturalis & dolor omnis relicto abdomine petebat brachia; hæc verò applicitis veſicatoriis cito juvata erant, ita ut intra qvatuordecim dies morbus ille diuturnus ceſſaverit. Varii merito affectus internarum partium adſcribi poſſunt arthriticæ ad illas converſæ materiæ, prouti hujus acrimonia vel copia diverſa minorem majoremve irritationem infert, unde qvandoqve merus dolor, qvandoqve ſimul inflammatorius producitur, priorem verò in noſtra ægrota adfuiſſe ſvadet ejusdem diuturnitas; nec minus veroſimile eſt, alias multas, qvæ inflammationes lentæ nuncupantur, moleſtias inteſtinales eſſe mere arthriticas ſimiles dolori ipſi articulari, qvi non raro per longum tempus absqve inflammatione eidem loco inhærere poteſt.

6. Dolor pectoris ſiniſtri fixus, nec non aliqvalis artuum cum tuſſi & ſcabie ſiccis, macie & debilitate virum 47 annorum jam per qvatuor hebdomades afflixerat, camphorata

rata, ſulphurea, veſicatorium, imo venæſectio aliqvoties inſtituta haud aliam mutationem morbi produxerunt, qvam qvod dolor demum ſpinam dorſi occupaverit ſecum ducens movendi impotentiam ita ut æger nec ſe erectum tenere, nec ambulare valeret. Fonticuli nunc cruribus appliciti & ſuccus recens herbarum eatenus deperditam vim reſtituebant, ut balneum tepidum univerſale in uſum traheretur, e qvonam tempore ſcabies largiter efflorefcebat, viresqve ſenſim perfectiores fiebant, ita ut trimeſtri poſt incipienentem reſtitutionem abſoluto ſpatio æger ſat bene valens noſocomio exiret. Qvod pleurodyne hæc diuturna illamqve ſeqvens paralytica nervorum affectio impuritatem ſcabioſam, humoribus forſan nimis viſcidis involutam, pro cauſa materiali habuiſſent, & durante morbo credidi, & adhuc certior factus fui per ſanationem ejusdem, ſcabiei ſufficienter prorumpenti præſertim tribuendam.

7. Non diſſimilis morbus in viro 46 annorum mihi occurrit; varias hic & graves contuſiones anno elapſo paſſus fuerat, qvibus etiam coſtæ nonnullæ fractæ erant iterum conſolidatæ; poſtea verò ſemeſtri afflictus erat dolore ſpinæ dorſi, plurium coſtarum & oſſis ilei utriusqve, absqve externa mutatione, verum cum tanta debilitate, ut nec corpus

erigere poſſet, nec ambulare niſi inclinato corpore & femora antice per manus ſuſtentans. Venæſectio, inunctiones variæ, balnea, antarthritica longo tempore tentata doloris vim adeo frangebant & mutabant ut reſtrictus fuerit ad parvum locum mox infra ultimam coſtam lateris ſiniſtri & ad pollicis diſtantiam a ſpina vertebrarum; debilitas verò deſcripta eadem permanebat; nunc parti dolenti fonticulus magnus erat applicitus, ſub cujus ſuppuratione larga per poma aurantiorum majora promota dolor ſenſim minutus & fugatus fuit, facultas autem motrix adeo reſtituta, ut poſt ſex hebdomades ab admoto fonticulo erecto corpore ambulans nos reliqverit æger. Hæc hiſtoria emolumentum fonticuli contra infirmitatem e læſis vertebris notabili exemplo Januarii menſis demonſtratum corroborat.

SECTIONES:

8. Ulceribus crurum ſponte conſolidatis apud virum 25 annorum ſucceſſit phthiſis cum dyspnœa graviori intra menſis ſpatium lethalis. Diſſecti pectoris utraqve cavitas nec non pericardium ſerum continebant largum, pulmones ipſi imprimis dexter multa tubercula ſcirrhoſa habebant. Nil probabilius eſt qvam utrumqve æqve funeſtum pectoris vitium

tium ex eadem derivare causa sc. resorpta ichorosa materie, qvæ in pulmonibus deposita obstructionem & suppurationem hecticam produxerat, exhalanti autem in cavitatibus vapori acrimoniam communicaverat, vi cujus absorptio impedita collectioni serosæ ansam dederat.

9. Apoplexia tactus trigenarius cum aphonia, motibus convulsivis, singultu, urina involuntaria, altero post accessum die moriebatur. Sub dissectione cranii defuncti multus sangvis ater effluxit, vasa duræ matris in pluribus locis disrupta inveniebantur, cerebrum ipsum & cerebellum sana, pulmo dexter ubiqve & firmiter costis accretus & in ventriculo cordis dextro polypus crassus ad longitudinem qvatuor pollicum. Nonne e circulatione per coalitum pulmonis impedita generationem polypi cogitare licet? Et nonne ex ambobus vitiis descendenti e capite sangvini obstantibus vasorum impletio & ruptura apoplexiam faciens oriri potuit?

10. Dolor medii abdominis qvinqvagenarium jam per qvatuordecim dies vexaverat cum retentione alvi & flatuum; intereaqve modò semel vena erat secta; primo posthæc biduo sangvis qvinqvies missus, & exhibita camphorata dolorem abdominis fugabant, fla-

tuumqve & alvi fluxum ſpontaneum reſtituebant; convaleſcentem ita ægrotum die decimo nono ſubitaneum breve frigus cum inſeqventi æſtu aggrediebatur, altero die ſimilis accedebat paroxysmus, die tertio aderat freqvens & irregulare frigus, die qvarto priorem referente dedi decoctum corticis peruviani larga copia; die qvinto frigus adhuc freqvens ſed mitius; die ſexto frigus prorſus aberat, ſed nunc ſupervenit delirium nonnullum conſtans cum inſigni dyspnœa, pulſu celeri, debili, excrementis, qvæ hactenus liqvide fluxerant, jam qvoqve involuntariis, ſub qvibus triduo protractis adeoqve die 27mo poſt acceſſum morbi abdominalis exſpiravit æger. In aperto cadaveris abdomine invenimus partem inteſtini jejuni ad longitudinem digiti qvodammodo inflammatam, ſuperficiem inferiorem hepatis colore livido præditam, reliqva in hac cavitate ſana; in thorace autem ſuperficies interna ſterni & externa pulmonum pure obducta erat, atqve poſtica pars cavitatis utriusqve inſignem copiam materiæ purulentæ, tenuis, brunnæ continebat, pulmones vero ipſi erant ſani. Varia utilisqve doctrina ex hoc caſu deduci poteſt ſc. 1) manifeſtum & pluribus aliis valentius argumentum ad demonſtrandam metaſtaſin inflammatoriam ſeu qvod materia purulenta in una parte per inflammationem generata ad alia diſſita loca

trans-

transponi qveat; integritas enim pectoris viſcerum aperte indicat, materiæ ibidem collectæ originem in aliis partibus eſſe qværendam, ubi autem probabilius? qvam in inteſtinis mox prægreſſa & qvidem ſat diu ad ſuppurationem generandam protracta inflammatione affectis. 2) Effectus & ſymptomata per talem transpoſitionem poſſibilia ſc. inopinato & e novo ſurgentes tumultus, & præſertim ſingularia illa frigora, per localem alterius partis affectionem finita, docet noſter caſus; ingenue enim fateor, mutationes hujus morbi tempore, qvo fiebant, nec qvoad cauſam nec qvoad eventum me intellexiſſe, illas vero jam ſimul cum anatome defuncti conſideratas perſpicio & ad futuram ſimilium dijudicationem applicare valeo. 3) Ad horripilationes & frigora ſuppurationi communiter juncta declaranda etiam inſervit ægroti hujus hiſtoria; utrum enim hoc ſymptoma fibris ſolventem ſuppurationis vim patientibus, an potius reſorptioni puris jam facti adſcribendum ſit? merito dubitari poteſt; poſteriorem vero ſententiam me judice probat tardus in noſtro frigorum acceſſus ſc. haud illo tempore, qvo inflammatio inteſtinalis transeundo in ſuppurationem ceſſabat, ſed demum poſt aliqvot elapſos dies, dum juxta omnem probabilitatem reſorptio confecti puris incepit, & donec peracta fuerit.

II.

11. Sub dolore medii abdominis conſtanti ægre attactum ferenti per venæſectiones plures & camphorata, qvibus alvus qvidem aperiebatur, tamen non miteſcente, ſed demum pulſu debiliſſimo & ſudore frigido juncto poſt qvinqve dies exſpiravit ſenex 56 annorum, ſpirituoſis maxime abuſus, & doloribus arthriticis ultimum morbum mox prægreſſis afflictus. Abdomine cadaveris aperto in conſpectum venit omentum admodum pingve, pro maxima parte inflammatum, partim ſphacelo correptum, ad pelvim prolongatum, ibidemqve inteſtinis imprimis colo deſcendenti & recto etiam inflammatis adhærens; colon transverſum ad ſedem omenti annexi etiam inflammatum; in omento ipſo præterea invenimus tumorem notabilis magnitudinis ſcirrhoſum cum ventriculo ab una & colo ab altera parte coalitum, inſignis copia fluidi purulenti in abdomine extravaſata erat, & omnia inteſtina tenuia craſſa atqve valde expanſa. Sat certo e ſcirrho omenti ad intolerabilem gradum provecto funeſta ejusdem inflammatio, ſimilisqve illi adjacentium inteſtinorum conditio deducuntur; verum limitata horum inflammatio ad loca contactus omenti inflammati mihi admodum congrua videtur ad confirmandam, qvam jamjam antea notavi, vim inflammationis per contactum communicativam.

12. Dolorifica expanſione abdominis conſtanti cum vomitu plurium ingeſtorum, alvo tamen qvotidie, ſed parce aperta jam ſex hebdomades afflicta trigenaria, pulſu celeri tenſo prædita, menſtruumqve fluxum ſub morbo nimis diuturnum jam verò præteritum paſſa, mox poſt introitum in noſocomio venæſectione & camphoratis tractabatur, qvibus vomitus & dolor abdominis ſublata erant, expanſione autem permanente; varia multa, laxantia, roborantia, carminativa adhibita levamen qvandoqve, & ſpem ſanationis ſed fallacem dederunt; tribus ante mortem ſeptimanis juncta erat tuſſis qvotidie gravior demum cum expectoratione purulenta & contabeſcentia corporis, mediante qva, morbus per qvatuor menſes protractus in mortem finitus fuit. Aperto cadaveris abdomine omnia inteſtina notabiliter expanſa, imprimis colon transverſum ad pelvim depreſſum, ibidemqve peritoneo filamentis membranoſis annexum, reliqva inteſtina cum peritoneo & inter ſe invicem agglutinata, glandulas meſenterii induratas, nullum veſtigium omenti; inteſtina, peritoneum, hepar, ventriculum innumeris corpuſculis albidis, globoſis, obſita invenimus. Aperti pectoris cavitas dextra enormem copiam ſeri ſangvinolenti habuit, pulmo hic parvus, atro-ruber compactus, tuberculis ſcirrhoſis plenus, ſub inciſione

ne materiem ichorofam e pluribus punctis effundebat, pulmo finifter ubiqve coftis accretus, etiam durus, fcirrhis obfitus erat, in pleura multa corpufcula illis in abdomine præfentibus fimilia obfervabantur. An inflammatio omenti prima hujus morbi origo fuit? An illius plenaria converfio in materiam purulentam & hujus in reliqvis peritonei vafis depofitio, atqve per moram contracta infpiffatio ad omenti abfentiam ejusdemqve, ut ita dicam, transmutationem in corpufcula allata declarandam cogitari poteft?

13. Hepatalgia conftanti, anorexia, fapore malo, debilitate & macie corporis fenfim adauctis per qvatuor menfes, junctoqve per fex ultimas hebdomades in nofocomio peractas vomitu freqventi, fœtido, qvandoqve brunnæ, qvandoqve nigræ vel fangvineæ materiæ, vexatus & demum exftinctus fuit vir 52 annorum. In aperto cadaveris abdomine hepar tuberculis multis magnis fteatomatofis obfitum, omentum minus, curvatura minor ventriculi, atqve pylorus in corpus cartilagineæ fubftantiæ ad aliqvot pollices craffum degenerata, pancreas & glandulæ mefentericæ induratæ reperiebantur. Fontem caufamqve materiæ ab ægroto noftro per vomitum ejectæ, qvod præfertim cognofcere cupiebam, me docuit notabils ventri-

culi

culi extiſpicio detecta degeneratio, vi cujus permulta & magna vaſa obſtructa non poterant non enormem ſangvinis vim verſus alia determinare vaſa, qvibus ideo vel nimis dilatatis vel disruptis in ventriculo effunderetur cruor, indeqve aut nondum corruptus aut per ſtaſin putrefactus evomeretur.

14. Diarrhœa ultra annum protracta ultimis menſibus per varia remedia fruſtra tentata fœminam 34 annorum ſenſim emaciando necabat. Cadaveris perluſtrati inteſtina tenuia in variis locis inflammata naturalis tamen voluminis, cœcum magis expanſum, colon anguſtius qvam naturaliter, pancreas & præſertim glandulæ meſenterii notabilem indurationem habentia inveniebantur. Inter cauſas diarrhoeæ funeſtæ a medicis jamjam recepta & ſat cognita eſt obſtructio glandularum meſenterii, cui etiam allatus morbus merito adſcribendus eſt, qvare autem hoc meſenterii vitium non rarò absqve prægreſſa diarrhœa in defunctis deprehenditur? Gradui cauſæ diverſo differens ille effectus ſine dubio tribui debet; in minori enim gradu glandulæ vel non prorſus vel non omnes obſtructæ transfluentem chylum qvodammodo ſuſciperent, qvod ſub adultiore tali morbo fieri neqvit.

APRILIS.

1. Febre biliofo-putrida 23 laborabant, undecim levius duodecim graviter afflicti; utilitatem epithematis frigidi capiti diligenter admoti tantam comperire perrexi, ut univerfalem illius ufum in tractanda putrida febre, five major five minor fangvinis congeftio ad caput videatur, receperim, qvædam moriebatur ob metaftafin ad hepar cum ictero, cui antea fæpius ægrota obnoxia fuerat, altera jam in extremo fita, cum ad nos venerit.

2. Febres intermittentes diverfi typi freqventes erant, qvædam emeticis & falinis fanabiles, plures cortice indigentes; apud virum diuturna tali febre cum obftructione hepatis laborantem, aptis refolventibus & dein cortice peruviano fanatum, dolores artuum molefti fuperfuerunt, qvos licet aliis fcorbuti propriis fignis deftitutos, tamen huic morbo, qvippecui intermittens febris non raro adjuncta eft, affines judicabam & ideo per fuccum citri ad cochleare majus bis indies porrectum breviter fugabam.

3. Arthritici qvidam ſolutione gummi gvajaci ſenſim reſtituti, alii eadem fruſtra uſi fuerunt; inter priores notabilis erat vir 31 annorum, qvi qvatuor hebdomadis laboraverat dolore nonnullo hypochondrii dextri, nec non moleſta expanſione abdominis, omni veſpera recurrente; dum horum ſymptomatum acceſſu articularis morbus evanuerat, arthritidem anomalam in culpa eſſe ſuſpicabar, ideoqve liqvorem nervinum bihorio ſumendum & inunctionem abdominis per linimentum volatile præſcribebam, qvibus per aliqvot dies factis ſub notabili diminutione moleſtiæ abdominalis dolor brachii dextri reſurrexit, qvem ſuppuratione per cantharides producta & aliqvot diebus conſervata augere & huc verſus omnem morbi materiam allicere ſtudebam; incipiens hujus medelæ effectus etiam voto reſpondere videbatur, dein verò brachii dolore ſponte abeunte abdominis afflictio priſtina recruduit ſimul cum alvi ſegnitie, nunc ſolutionem gvajacinam ter qvaterve per diem propinavi, cujus uſus ſolus integram ægroti reſtitutionem produxit absqve reverſione doloris juncturarum, itaqve exemplum virtutis hujus medicamenti haud contemnendæ exhibuit.

SECTIONES:

4. Hydropico tumori crurum & abdominis modico, cum obſcura fluctuatione ſub febre qvotidiana orto, & poſt illam ſponte evanidam continuanti cum nonnulla diarrhœa apud juvenem 20 annorum jungebatur demum dolor fixus in regione iliaca & ingvinali ſiniſtra cum pulſu debiliſſimo, lingva dein aphthoſa, macie & virium proſtratione ſenſim ad funeſtum gradum, qvo trimeſtris hic morbus finiebatur, provectis. Ex aperto ægroti abdomine notabilis qvantitas ſeri aurantii maleolentis effluxit, omentum longum pelvim fere attingens ad latus ſiniſtrum ſphacelo correptum & ibidem inteſtinis firmiter accretum inveniebatur. Ex acrimonia ſeri ortam fuiſſe omenti inflammationem & mediante illa hydropis lethalem ſurrexiſſe eventum, vix dubitari poteſt.

5. Inter levandum inſigne pondus juvenis 20 annorum orientem ſentiit dolorem regionis hypogaſtricæ, qvi per ſex dies duraverat ultimo biduo junctus cum vomitu, ſiti inſigni, expanſione totius abdominis & demnm ſingultu, alvus ſub morbo naturalis fuerat, pulſum inveni parvum, celerem; altero poſt introitum die, ſc. ſeptimo morbi, ſub allatis ſymptomatibus & ſudore frigido mo-

moriebatur æger. Ex abdomine aperto insignis copia ſeri maleolentis cum intermixtis fruſtis purulentis effluebat, omentum, verſus latus dextrum compulſum, ſphaceloſum, atqve tam peritoneo, qvam inteſtinis intermedio pure agglutinatum, omnia inteſtina tenuia cruſta purulenta obducta ſibi invicem & peritoneo adhæſerunt, infimi gyri inteſtinorum tenuium & S romanum ſphaceloſa erant, eorundem verò conſtrictio nullibi obſervabatur. Tam notabilem citamqve internarum deſtructionem partium, qvam hiſtoria & ſectio noſtri ægroti monſtravit, e ſimplice derivare inflammatione vix permittit hujus morbi ſolitus decurſus, concludendo autem ab ejusdem cauſæ actione ſimili in internis ac in externis probabilius redditur, ecchymoſin ſeu effuſionem per vaſa in abdomine ſub niſu enormi levandi disrupta factam fuiſſe, celeremqve humoris extravaſati corruptionem vi caloris abdominalis eſſe promotam; concurrit itidem hic caſus cum aliis jam ſupra allatis ad docendum, iflammationem inteſtinorum non ſemper ſecum ferre conſtrictionem eorundem, & ex illa productam alvi obſtipationem.

6, Abſceſſu manus dextræ, qvi largum pus continuerat, citò per applicitum balſamum univerſalem conſolidato, mox oriebatur dolor totius ſpinæ dorſi cum rigiditate ejus-

dem jam ſub introitu decem diebus durans, alvus per octo dies involuntario & inſcio ægroto fluxerat, ultimo qvatriduo extremitates inferiores prorſus qvoad motum, ſenſu tamen integro manente, paralyticæ erant ſimul cum diureſi impedita atqve tumore notabili, duro, dolenti regionis hypogaſtricæ; ſitis aderat inſignis, pulſusqve celer, debilis, caput & mens ſana. Hiſce afflictus vir 23 annorum adhuc qvinqve diebus in noſocomio vixit; cathetere interea ſemper opus erat ad educendam urinam, qvæ prima vice ſaturate aurantia, dein citrina & demum purulenta obſervabatur, vena alias qvater ſecta, dorſo applicitum veſicatorium, intusqve adhibita camphora & moſchus nullam morbi mutationem produxerunt, ultimo autem triduo oppreſſio pectoris cum ejusdem ſibilatione ſenſim increſcens, ægrotum ſuffocabat. In diſſecti cadaveris abdomine invenimus veſicam urinariam valde expanſam, urina ſangvinea plenam & ſuperficie interne nigreſcentem, renes vero & reliqva viſcera ſana. Extus autem in latere ſiniſtro inter muſculos dorſales & ſpinam dorſi juxta totum ejusdem tractum larga copia veri puris, qvo etiam cavitas ipſa ſpinæ repleta erat, inveniebatur. Gravis hæc metaſtaſis medullam ſpinalem comprimens ſat facile declarat ægroti noſtri paralyſin non modo extremitates inferiores occupantem,

tem, ſed demum etiam muſculos reſpirationi inſervientes, qvorum actione inhibita vitam ceſſare neceſſe erat; inflammationem veſicæ urinariæ itidem e retentione urinæ, ejusdemqve inde producta nimis expandenti & irritanti vi qvisqve primo intuitu forſan intelliget; qvomodo autem retentio hæc, ejusdemqve neceſſaria cauſa ſc. conſtrictio ſphincteris reſolutis licet reliqvis vicinis nervis eorumqve communi origine, medulla ſpinali læſa compreſſaqve, locum habere poteſt? Num rami nervoſi mediante nervo ſympathetico magno ab ipſo cerebro ſphincteri veſicæ communicantur? An hoc ſvadet incontinentia urinæ, haud rarus apoplexiæ effectus? Praxi autem ipſi haud inutile videtur, occaſione hujus hiſtoriæ recordari noxam e nimis cita conſolidatione vulnerum imprimis largiter ſuppurantium poſſibilem atqve timendam.

7. Dolorem artuum vagum, diuturnum, qvandoqve caput occupantem, illiqve junctam ſex hebdomadis tuſſim ſiccam qverebatur ſutor 56 annorum ſpirituoſus abuſus, moroſus mentisqve ut videbatur, haud ſatis compos. Cephalalgiam poſtea obſervabamus continuam cum ſtupore, ſenſim increſcente, atqve intercurrente delirio; tuſſis augebatur demum cum ſputo purulento & inſigni dyspnœa; verſus finem motus membrorum convulſivi inter-

dum adfuerunt, pulſus magis magisqve debilis reddebatur, duosqve in noſocomio peractos menſes placida mors terminavit. Aperto demortui cranio in ambobus ventriculis lateralibus præſertim tamen ſiniſtro largum ſerum deprehendebatur, plexus uterqve choroideus variis corpuſculis globoſis lentiformibus, partim albis durioribus, partim rubris minus duris obſeſſus; in baſi cranii etiam ſat largá extravaſatæ aqvæ copia aderat; cum omnes coſtarum cartilagines oſſificatæ reperiebantur, disqviſitio pectoris, digitis per transciſos muſculos intercoſtales intromiſſis inſtituta, copioſum in utraqve cavitate ſerum & magna tubercula ſcirrhoſa utriusqve pulmonis detegit; in abdomine inventa præternaturalis conditio erat induratio glandularum meſenterii. Notari ſimul meretur, ægrotum hunc ante qvinqve circiter annos in noſocomio pertinaci laboraviſſe vertigine, qvæ variis fruſtra tentatis per ſuppurationem nuchæ diuturnam mediante ſetaceo promotam ſanabatur. Fœcunda non minus moralium qvam phyſicorum malorum mater apud nos meritò æſtimari poteſt ſpiritus frumenti receptus & enormis uſus, vis enim hujus liqvidi humoribus corporis magis magisqve communicata demum tantum viſciditatis gradum producit, ut obſtructiones omnis generis viſcerumqve læſa functio imprimis apud perſonas minus

la-

laboriosam vitam degentes exsurgant; e simili origine haud inepte explicari possunt symptomata allati ægroti, partiumqve status post mortem inventus; præsertim encephalum primis ebrietatis effectibus maxime subjectum, etiam consecutivam hujus vitii noxam sibi præcipue contraxerat sc. exhalantis liqvidi acrimoniam atqve lentorem, vi cujus impedita resorptio collectioni serosæ demum funestæ ansam dederat. Huc qvoqve referri potest observatio de plurimis bibonibus valens, qvod sc. ebrietate freqventi cerebro talem læsionem inferant, ut simul ac noster demum absqve bibendo qvasi ebriosi reddantur, atqve nobilissimam rationis facultatem, qvam voluntario exstingvunt, demum physica necessitate perdant.

MAJUS.

1. Febres bilioso - putridæ solito pauciores.

2. Intermittentes numerosæ potissimum tertianæ, paucæ qvotidianæ qvandoqve emetico & salinis, sæpius tantum cortice sanabiles.

3. Febres peripneumoniacæ nonnullæ potiſſimum rheumaticæ indolis; qvidam memorabilis erat, ubi pectoris dolor, vena licet freqventer ſecta, & adhibitis camphoratis atqve veſicatorio, tamen idem manebat cum dysſpnoea, tuſſi ſicca & decremento virium ad vigeſimum primum diem, qvo largus ſupervenit ſudor, aliqvot noctibus continuis reverſus, unde omnia pectoris ſymptomata absqve ulla expectoratione ceſſabant; virium jacturam poſtea reparavit decoctum corticis peruviani. Alter miles 39 annorum, poſt pectoris inflammationem ſimilem, haud ſufficienti ope tractatam, laboravit gravi dyspnoea, tuſſi ſputoqve purulento difficili; pectore præſertim per juſculum ſecalinum & kermes minerale depurato & in meliorem ſtatum redacto, oriebatur notabilis hydropicus tumor extremitatum inferiorum, nec non ſcroti, qvi diureticis multis, imprimis variis e ſqvilla paratis remediis, pertinaciter reſiſtens demum animæ rhei uncia, olei tartari p. d. drachmis duabus ad guttas ſexaginta ter indies exhibitas, unde urina largiter fluxit, tollebatur.

4. Debilitatis notabili gradu corporis mentisqve cum intercurrente lipothymia, amneſia, ſtupore fœmina 63 annorum ſeptem menſibus ita affligebatur, ut lecto ſemper tene-

teneretur, corpus extra illum haud ſuſtentare, multo minus movere valens, nec loqveretur, neqvidem interrogatis rite reſponderet, ſomno tamen, appetitu & alvi apertura naturalibus gauderet; qvæ vita potius vegetabilis qvam animalis judicanda erat, & absqve influxu ſpiritus humani peragi videbatur; cum nulla ſcorbuti aut alterius morbi ſigna adfuerint, excitantem elegi indicationem, illiqve congrua medicamina varia ſtimulantia & nervina per bimeſtre ſpatium, verum absqve effectu exhibui; contigit tunc, ut altera in vicino lecto ſita ægrota graviter deliraverit, unde noſtra perterrefacta, valde inqvieta delirantis adinſtar ſponte lectum reliqvit & ambulavit; paucos intra dies mentis qvies redibat, attamen ambulandi movendiqve vis permanebat, debilior qvidem, qvam ſub paroxysmo delirii, roborantium uſu autem ſenſim melior & demum reſtituta; qvoad reliqvos etiam mores & animi alacritatem aliis hominibus ſimilis reddebatur. Si qvid circa nexum corporeæ, & ſpiritualis ſubſtantiæ hominem componentis cogitare licet, morbus ægrotæ noſtræ, & præſertim ejusdem ſanationis modus ſvadent ſtatuere obſtaculum, forſan, lentorem ſubtiliſſimi liqvidi, qvod ideo ad motum ab anima impreſſum ſuſcipiendum, & propagandum haud ſatis aptum fuerat; aggreſſa autem valida terroris actio æqvalem

impetum principii activi tantumqve citavit, ut meatibus inhærentia obturamenta commota & profligata fuerint, simili ratione, ac fistula obstructa forti inflatione aëris expurgatur. Auxilium, qvod casus fortuitus hic suppeditavit, simili perraro, si unqvam postea mihi occurreret, morbo medendi viam monstrat sc. menti potius qvam corpori vehementes & inopinatas inducere agitationes.

SECTIONES.

5. Peripneumonia afflictus vir 26 annorum cum oppressorio dolore totius & punctorio dextri pectoris, dyspnœa enormi, vomitu freqventi, tussi molestissima, adhibitis licet crebra venæsectione, camphoratis, vesicatorio, nono morbi die sub roncho pectoris exspiravit. In dissecto thorace ambo pulmones costis & diaphragmati coaliti erant, pulmo dexter in superficie externa crusta purulenta erat obductus, incisa pulmonis utriusqve substantia inflammata & partim sphacelata apparuit, in cavitate tam sinistra, qvam dextra aderat largum serum, & hujus contentum simul frustis condensati puris mixtum reperiebatur. Tam universalem, qvæ post mortem inveniebatur, læsionem pulmonum vivente homine possibilem credere vetat hujus organi ad vitam necessaria actio, eandem ideo a

morbi

morbi initio præſentem ſtatuere abſurda foret opinio, ſat verò probabile eſt, pulmonem jam notabiliter inflammatum partim ob impeditam circulationem, partim ob frictionem & irritationem e valida qvaſſatione tuſſis ſenſim majorem & demum inſtante morte funeſtum morbi gradum contraxiſſe.

6. Febri continuæ apud puellam 20 annorum duodecimo die, qvo in noſocomio ſuſcepta fuit, acceſſerat maxima inqvietudo cum delirio atqve impeditis loqvela & deglutitione nec non involuntario urinæ fluxu; catamenia aliqvot menſibus ante morbum emanſerant, pulſum valde debilem inveni; variis licet tentatis auxiliis camphora, moſcho, veſicatoriis, imo arteriotomia temporali, ſtatus tamen manebat idem, ultimo triduo inſultus apoplectici pluries ſupervenerunt, ſub qvibus morbus demum die decimo nono per mortem finitus fuit. In aperto cranio vaſa meningum ſangvine valde turgida & ventriculi laterales enormi copia ſeri impleti reperiebantur, ita ut vi ejusdem ſeptum pellucidum eſſet dilaceratum, atqve ex uno aperto contentum utriusqve effluerct, cerebri pars infima & cerebellum ſolitò laxiora inveniebantur. Vix verò ſimilior morbi hujus, atqve eventus ejusdem declaratio fieri poteſt, qvam per metaſtaſin ſ. materiæ nocivæ, forſan ſeroſæ indolis

in

in ventriculis cerebri depositionem, cujus citus effectus merito ejusdem copiæ est imputandus.

7. Hydrops anasarca apud virum 59 annorum spirituosis valde deditum jam aliqvot hebdomadis duraverat, ultimo biduo ante introitum in nosocomium junctus cum cœcitate fere plenaria, stupore insigni, delirio nonnullo miti, sub qvibus æger apud nos qvinqve diebus commoratus moriebatur. Dissecto cadaveris cranio inter meninges & gyros cerebri serum extravasatum reperiebatur, ventriculi laterales itidem simili liqvido erant repleti, ejusdem verò maxima copia aderat in basi cranii; arteriæ ophtalmicæ sangvine valde turgescebant; hepar solito majus, durum, diaphragmati ubiqve coalitum. Insignis in cerebro hujus ægroti extravasati copia probabilem reddit obstructionem venarum, e qva, transfluxui sangvinis arteriosi resistente, intelligi potest nimium implementum arteriarum ophtalmicarum, indeqve adjacentium nervorum compressio, atqve cœcitas.

8. Ob dolorem regionis hepaticæ sat gravem, qvem vir 32 annorum spiritu frumenti valde abusus jam qvinqve diebus patiebatur cum aliqvali tumore & attactu haud tole-

tolerando dolentis loci, ter miſſus fuit ſangvis qvodammodo phlogiſticus, veſicatorium qvoqve & camphora adhibita dolorem illum fugabant, verum octavo morbi die inſignis ſurrexit dyspnœa, totum corpus intumuit, urina parciſſime fluxit, & die inſeqventi aggreſſa apoplexia morbum vitamqve finivit. Aperto defuncti cranio ſerum ubiqve extravaſatum ſc. inter meminges ipſas, inter has & cerebrum, in ventriculis lateralibus & baſi cranii aderat. Pectoris utraqve cavitas imprimis ſiniſtra, nec non pericardium largiſſimum ſerum includebant; ſecto abdomine copioſa aqva aurantii coloris effluebat; hepar enormis erat magnitudinis ſolito durius & rubicundius, lien etiam naturali major & firmior. Apprime hæ hiſtoriæ conveniunt ad probandos & illuſtrandos miſerrimos effectus exſecrabilis frumenti ſpiritus, cui eo juſtius culpa tribuitur, qvia in ambobus ægrotis læſiones adeo ſimiles produxerat ſc. indurationem hepatis, hydropicam humorum diſpoſitionem vel verum hydropem, & demum vaſorum cerebralium relaxationem notabilem freqventi diſtentione ſub ſpiritus actione productam, ita ut præ reliqvis partibus ad noxam e prava ſangvinis indole concipiendam apta & expoſita eſſent. Verum mirus citiſſimusqve in altero ægroto tam notabilis hydropis ortus qvoad cauſam & modum disqviſitione mihi ad-

admodum dignus videtur; an venæſectioni, & qvidem repetitæ, illud phænomenon eſt adſcribendum? Si ſolita valeat concludendi ratio, immediata ſucceſſio, præſertim nulla alia probabili cauſa præſente, affirmativam ſvadet reſponſionem; pro eadem ſententia ſtat hydrops freqvens qvemlibet ſangvifluxum enormem inſeqvens, unde merito deducitur, eandem cauſam ſ. detractionem ſangvinis licet gradu minori vim habere ad eundem producendi effectum, præſertim cum huc tendens altera cauſa ſc. hydropica diſpoſitio jamjam præſto ſit. Modus autem ipſe, qvo talem noxam infert jactura cruoris, partim in ejusdem ob minutam qvantitatem etiam fracta qvalitate ſeroſum liqvidum attrahendi ponendus eſt, partim in retardato motu, qvem grumoſa ſangvinis parte conſervari jure putant phyſiologi, cujusqve decremento ſeri a cruore ſeparationem, faciliorem ideo per vaſa minora ſecretionem, indeqve largiorem in cavitatibus depoſitionem oriri mihi probabile videtur. Ut verò ad praxin ipſam redeam, juvat notare, qvod me allati ægroti occaſione attentiorem redditum plures dein experientiæ noxam venæſectionis, eandemqve ideo in ſubjectis hydropis diſpoſitione & initio laborantibus, ni certa notabilis inflammationis ſigna urgeant, vitandam eſſe docuerint.

9.

9. Febre intermittente ſat diuturna per ſpiritum frumenti pipere contuſo mixtum fugata apud hominem 22 annorum, ut nobis relatum fuit, ortus & jam qvatuordecim diebus protractus fuit dolor abdominis preſſorius cum vomitu ingeſtorum; ipſum ægrotum inveni aphonum, nullis conſcientiæ ſui ipſius præditum ſignis, qvoad extremitates lateris ſiniſtri paralyticum, cum pulſu lento, urinæqve fluxu in lecto. Apertura alvi per laxans effecta & aliàs exhibita veſicatoria, venæſectiones, arteriotomia temporalis, non mutabant ſtatum morbi, qvi qvarto poſt ægri adventum die morte placida terminabatur. Aperto defuncti cranio poſtica pars hemiſphærii cerebri dextri prope proceſſum falcatum multa corpuſcula graniformia in ſuperficie externa habebat; ablata in eodem loco parte ſubſtantiæ cerebralis in conſpectum venit abſceſſus ſat magnus ſimilibus corpuſculis, ſed rubicundis, impletus, præterea autem nullum cerebri vitium aderat; in abdomine omnia inteſtina imprimis colon transverſum aëre valde expanſa; tenuia etiam variis in locis inflammata & pro parte ſphacelo correpta, hepar & reliqva viſcera ſana. Haud abſonum mihi videtur, utramqve æqve funeſtam læſionem tam inteſtinorum qvam cerebri ab eadem derivare cauſa ſc. calefacienti remedio, qvod forſan a noſtro ſolito largius

in-

geſtum etiam effectum ſolitò graviorem induxerat.

10. Hepatalgia apud juvenem 22 annorum qvotidianæ febri unius menſis ſponte evanidæ ſucceſſerat & jam qvatuor ſeptimanis durabat cum dyspnœa, ſiti, anorexia, tuſſicula ſicca; tumorem totius regionis cardiæ notabiliter prominentem & pulſum celerem percepimus, alvus qvodammodo naturalis erat; poſt ſex dies tumoris incrementum obſervabatur notabile cum mollitie & protuberante faſtigio, maturato abſceſſui haud diſſimili, cujus aperturam tamen chirurgus inſtituere non auſus erat; triduo abhinc ſub anxietate enormi mortem minante æger evomuit materiem aliqvalem fœtidam purulentam, verum absqve levamine, poſtridie acceſſit alvi fluxus fœtidus purulentus, qvi octo diebus continuans tumorem tamen vix notabiliter, ſed vires ſenſim diminuit, itaqve ſeptimam morbi hebdomadem morte finivit. Ex recluſo cadaveris abdomine nonnullum ſerum maleolens, nec non varia fruſta purulenta effluebant; inteſtina tenuia in regione lumbari dextra ſphaceloſa, hepar in membranam ſacciformem, qvæ craſſitiem duarum linearum & adhuc naturalem fere figuram habuit, degeneratum, intus pro parte vacuum, pro parte pus & hydatides continens; glandulæ meſen-

terii

terii induratæ inveniebantur. Poſſibilem puris in hepate collecti tranſitum ad canalem inteſtinorum, indeqve evacuationem ſurſum vel deorſum probat allata hiſtoria, qvali ideo dabili via modicæ ſuppurationis optatus eventus forſan erat ſperandus, ſub graviori autem & ampliori viſceris hujus ſolutione, imprimis noſtrum exemplum referente, incipienti naturæ evacuationis operi haud lætam ſuperſtruere exſpectationem etiam ille caſus docet certumqve reddit.

JUNIUS.

1. Febre bilioſo-putrida 28 ægrotabant, undecim modice emeticis & eccoproticis juvati, ſeptendecim gravius, non pauci maculis petechialibus, fere omnes notabili ad caput congeſtione hirudinum tamen atqve epithematis uſu vincenda gravati; e duobus demortuis unus ſymptomatibus peripneumoniæ ſimul laborare videbatur, qvapropter ter ante ægri ingreſſum in noſocomio inſtituta venæſectio forſan cauſa fuit virium poſtea ad expectorationem promovendam haud ſufficientium.

2. Febres intermittentes non paucæ, qvandoqve cum ſignis obſtructi hepatis, cui malo reſolventia ſolita ſc. tinctura rhei cum ſolutione tartari tartariſati & decoctum graminis atqve taraxaci medebantur, interdum ſimul ſublata, interdum ſuperſtite febre, cortice peruviano dein ſananda; apud qvendam febri ita curatæ ſucceſſit moleſtus artuum dolor ſat pertinax, demum per ſuccum citri ad cochleare majus bis per diem ſumtum domitus; alterius ipſam febrem diuturnam cortici & aliis antifebrilibus remediis prorſus reſiſtentem, junctumqve cum notabili ſtupore & pigritia tamen absqve genuinis ſcorbuti ſignis eodem modo porrectus citri ſuccus omnino ſanabat. Notatu autem digniſſima erat Judæa, qvæ febrem intermittentem, vel tertianam, vel qvotidianam ultra dimidium annum, anteqvam in noſocomio ſuſcepta erat, & in eodem novem menſibus patiebatur cum ſapore oris ſemper amaro, gravi dolore arthritico nec non intercurrente lipothymia; complicato huic, ut videbatur, morbo multifaria remedia ſucceſſive opponendi occaſionem mihi præbuit ejusdem diuturnitas; emetica, eccoprotica, reſolventia ut decoctum graminis & taraxaci, ſuccus recens herbarum, gummi gvajacum, cortex peruvianus, radix gei urbani, antihyſterica, imo mercurialia ad ſalivationem usqve, veſicatoria diu ſuppurantia, ſed omnia

ſine

ſine fructu adhibita patientiam meam aliqvoties tentabant; adeo ut ægrotam hanc impatientiſſimam atqve ob qverelas indeſinentes ipſis afflictibus majores mihi & aliis adjacentibus ægris valde moleſtam, ni Chriſti religio interveniſſet, e noſcomio dimiſiſſem. Demum ſupra allatis exemplis ductus ſuccum citri porrexi, qvi qvatuordecim diebus adhibitus difficillimo huic morbo optatum finem impoſuit.

Scorbutus ſolito plures ad noſocomium adduxit; omnes ſpatio trium circiter hebdomadum eadem ſanavit methodus ſc. elixirium antarthriticum pharmacopœæ noſocomii ad guttas 60 ter per diem, ſerum lactis, pomum citri qvotidie ſumtum, infuſum trifolii fibrini & corporis motus, qvantum, coactus licet, ægrotus abſolvere potuit, præſertim in libero aëre. Solita ſcorbuti ſymptomata & ſigna apud omnes adfuerunt excepto unico, cui dentes & gingivæ integerrima erant. Ex hiſce ægrotantibus duos iu eadem cella humida habitaviſſe, qvoad æthiologiam ſcorbuti notatu haud indignum æſtimabam.

3. Ad ſcabioſam familiam pertinens ancilla 39 annorum domeſtico cœpit laborare malo, qvod tamen ſponte evanuit, poſtea valetudo illius fiebat adverſa cum anorexia,

ſapore amaro, diarrhœa modica, dolorifica, vertigine gravi qvandoqve lapſum minante, qvibus per menſem protractis indeqve corpore valde debilitato & emaciato noſocomium adiit ægrota; initio & fruſtra radix ipecacuanhæ & rhabarbari tentabantur, dein vero pulvis radicis gei urbani bihorio porrigebatur & ægrotæ ad frigus corporis valde pronæ, ut conſtanter lectum teneret, imperabam; hinc diarrhœa ſenſim nec non reliqva ſymptomata prorſus abacta fuerunt ſub ſcabie largiter efforeſcente & dein ſolita ratione ſanata. Licet morbi hujus origo haud dubia fuit ſcabioſa humorum corruptio, ſymptomata exinde orta illius tamen erant indolis, ut methodum tali debellandæ cauſæ congruam ſc. vertigo balnei & diarrhœa ſulphuris uſum ſine graviori timendo malo admittere non poſſent; novam ideo & qvidem proſperam inceſſi viam, ſiſtente nimirum virtute gei inteſtina roborando & conſtringendo, itaqve, affluxum humorum ab iisdem avertendo, dum ab altera parte lecti calor continuus ad cutem emolliendam, & illuc verſus morbi materiem provocandam tanqvam conveniens præſcriptus, utilisqve repertus fuit.

4. Matrona nobilis 40 circiter annorum omnia veræ fortunæ dona poſſidens & qvod proſperius erat, ipſa agnoſcens, tanta felici-

tate

tate fruendi potentiam perdiu perdiderat ob labem insignem sanitatis, cujus ideo recuperandæ gratia e Norvegia Hafniam profecta & nosocomium nostrum ingressa fuit. Morbus ille jam ultra duos annos protractus constitit in singulari efflorescentia s. exulceratione capillatæ partis capitis & totius fere trunci, magnas sc. corporis plagas invadebant ardor, rubor & pruritus intolerabilis, ex affectis ita locis dein effluebat largum acre serum, qvo cessante epidermis exsiccata per sqvamas abscedebat; unius autem partis restitutionem mox alterius afflictio excepit, qvalis mali in circulum repetitio ægrotam fere indesinenter inqvietaverat, somnumqve vitæ imprimis miseræ summum solatium impediverat. Tussi molestissimæ, diuturnæ remediis, qvorum indolem ægrota ignorabat, sanatæ ægritudo illa cutanea successerat, variisqve tam in Norvegia qvam in Svecia petitis & applicitis auxiliis pertinaciter restiterat. Qvoad reliqvam sanitatem, menstruationem alvum, appetitum, nihil irregulare aderat. Primis duobus circiter mensibus, qvi hyemales erant, pulveres ex antimonio crudo, oculis pptis. cancrorum ana ad scrupulum ter die porrecti, infusum ex radice sassaparillæ & rasura ligni sassafras paratum, nec non balneatio freqvens affectarum partium primò per decoctum avenæ dein per aqvam marinam mor-

bum prorſus intactum relinqvebant; tempore vernali & æſtivo loco alterius medicinæ ſuccus recens herbæ & radicis taraxaci ad patellam ter indies ſumtam, ſeri lactis menſura qvotidie ingeſta, infuſum ſupra allatum, crebra lavatio exulcerati corporis per meram aqvam frigidam, atqve mixtura antiſcorbutica reſolvens ad guttas 60 ter indies in uſum tracta citum levamen & poſt tres menſes ſanationem adeo completam effecerunt, ut reſtituto corpore lætoqve & grato animo patriam reverteretur noſtra Norvega. In ſimplici hac methodo ſane ultra exſpectationem proficua ſimpliciſſimum qvidem, ſed ſimul maxime conveniens atqve efficax lavacrum per aqvam dulcem frigidam me judice æſtimandum eſt, idqve jamjam ante electionem ejusdem æſtimabam. Meditatus enim qvidnam inter topica poſſibilia ægrotæ noſtræ optimo emolumento eſſet, calida vel tepida tanqvam relaxantia, acria vel in acrimoniam prona tanqvam irritantia, & adſtringentia etiam tanqvam retropellenti & periculoſa vi prædita rejeci, illoqve ratiocinio ductus fui ad ipſius naturæ aptiſſimum ob ſimplicitatem depurationis medium omnibus aliis arte paratis & compoſitis præferendum, e cujus liqviditate diluentem, puritate innoxium, & frigore roborantem effectum præſtantiſſimo modo & gradu exſpectare potui, eventusqve ſpei reſpon-

ſpondentis pro futuro tempore non oportet eſſe immemorem.

5. Hemicrania lateris ſiniſtri militem 34 annorum ſex hebdomadum ſpatio magis magisqve afflixerat, noctesqve præſertim inqvietaverat & bina vice paroxysmum lipothymico-convulſivum ſibi junctum habuerat. Ante dimidium annum ſimili dolore capitis per diuturnam & largam ſalivationem mercurialibus provocatam liberatus erat. Curationem incepi per hirudines regioni temporali applicitas, fonticulum brachio affecti lateris atqve ſolutionem Sviettenii; alvo verò exinde laxa reddita nec per decoctum album, aut eſſentiam adſtringentem ſiſtenda, loco ſolutionis inunctionem mercurialem præſcripſi, qvæ ſex hebdomadum ſpatio mox adhibita mox ob diarrhœam nulla arte cohibendam ſepoſita nullius prorſus utilitatis erat, qvinimo dolor increvit, lipothymia aliqvoties invaſit, & corpus ob inſomniam atqve cruciatus valde debilitatum & emaciatum fuit; ſetaceum nuchæ diu & largiter ſuppurans, cum nullum levamen attulerit, iterum conſolidatum fuit. Nunc ſolutionem opii initio ad unum dein ad duo & demum ad qvatuor grana porrexi omni veſpera atqve mane. Qvodnam remedium ſolum adhibitum mox vim doloris fregit, illamqve qvamdiu in uſu fuit, haud autem

 ſepo-

ſepoſitum, ſupprimere perrexit, alvum reddidit naturalem, indeqve tanqvam ſecundarios effectus ſomni, virium, carnis reſtitutionem produxit, adeo ut abſoluto menſe tamen cum monito de continuanda hac medicina noſocomium reliqverit. Experimentum hoc licet haud ſatis perfectum tamen apponi poteſt aliis antivenereaum opii virtutem teſtari incipientibus. Dantur nimirum, qvalis noſter fuit, affectus ſyphillitici mercurio invicti & invincibiles, ob miſerrimos tamen cruciatus medicorum opem qvam maxime efflagitantes, verum illa hucusqve fere orbati; eo gratiori animo agnoſcendus eſt ille miſericordia ipſa divina exhibitus caſus, qvo nuperorum attentio ad deſideratum auxilium in opio detegendum ducta fuit, cuiqve obſervationi ſuperſtructa dein ulteriora tentamina jamjam docuerunt. 1) Opium ſyphilliticis haud ſecus ac ipſis Turcis etiam ad notabilem doſin hiſce conſvetam, dummodo apud illos ſenſim augetur, tolerabile nullaqve ratione, etiamſi diuturne & forſan indeſinenter adhibeatur, noxium eſſe. 2) Idem hoc remedium morbi venerei ſpecifico minerali haud ſanandi unicum eſſe ſolatium, non modo ſymptomatum moleſtam ſenſationem, ejusdemqve effectus inſomniam corporisqe tabem tollens; verum etiam ipſa vitia atqve ſolutiones continui ſaltem apud nonnullos in naturalem reducens

ducens ſtatum forſan modo temporarium nec ſine continuo laudani uſu exiſtentem, attamen nulli contra ſummas calamitates levamini longe præferendum. Enimverò, qvamdiu univerſalis luem eradicandi virtus mercurio proprie appertinens nondum per ſufficientem experientiam in opio inventa & demonſtrata eſt, gravis momenti eſt cautela, novum non applicare, niſi antiqvum & ptobatius ſpem fefelliſſet.

SECTIONES.

6. Cephalalgia enormis, conſtans, partim punctoria, partim tenſiva, viſum obnubilatum atqve pupillas dilatatas ſecum ducens, ad miſerum ejulatum ſæpe cogens, nec non efflorefcentiam tineoſam capitis jam ſemeſtrem ſibi junctam habens, remediis variis congruis fruſtra tentata puellam 17 annorum qvatuordecim diebus exactis per placidam demum mortem e vivis ſuſtulit. In aperto demortuæ cranio meminges magis qvam naturaliter tenſæ, illarum vaſa ſangvifcra valde turgida, ſeri notabilis qvantitas in ventriculo laterali ſiniſtro, tertio & baſi cranii inveniebantur; nervis opticis, ubi in ſella turcica uniuntur, nec non medullæ oblongatæ adhærebant corpora nonnula, hyatides maxime refe. rentia, materiem valde ſpiſſam includentia-

Ad vitia hæc encephali, qvibus morbus nostræ ejusdemqve funestus finis merito adscribuntur, producenda & declaranda vix aptior causa argui potest, qvam resorptio materiæ tineosæ, qvæ, licet non prorsus exsiccatis hisce ulcusculis, tamen locum habere potuit.

7. Hydropica 39 annorum cum tumore totius corporis, tussi molesta, dyspnœa magis magisqve adaucta, demum cum decubitu in dorso intolerabili, freqventi sangvinis sputo, post mensis spatium morbi exspiravit. Aperto defunctæ abdomine serum largum effluebat, hepar inveniebatur enormis magnitudinis qvasi tripartitum, dum sc. lobus ejusdem major in margine anteriori appendicem habebat, qvi lobum minorem æqvabat atqve deorsum infra umbilicum sese extendebat, in cavitate thoracis dextra serum sangvinolentum largissimum aderat, pulmo hujus lateris vix tertiam partem naturalis magnitudinis continens atro-ruber & in putridam massam resolutus erat; in cavitate sinistra multo minus erat serum ejusdemqve pulmo etiam solito minor. Notabilem e sero thoracis hydropico noxam in comprimenda & destruenda pulmonum substantia exhibet ille casus; num verò pectoris morbo primam originem vel ansam dederat enormis magnitudo hepatis

ejus-

ejusdemqve ſingularis, ſine dubio tamen ipſius naturæ luſu conſtructa figura?

8. Vir 28 annorum bimeſtri ſpatio valetudinarius fuit cum dolore vago punctorio pectoris, tuſſi, dyspnœa, ſudore nocturno, qvibus junctæ obſervabantur maculæ crurum ſcorbuticæ, appetitus & alvus naturales. Adhibitis per aliqvot dies antiſcorbuticis ſubito ſupervenit vertigo cum viſu duplicato, timens læſionem cerebri hirudines temporibus & veſicatorium nuchæ applicari curabam, verum altero die ſtupor inſignis, deliratio, motus convulſivi brachiorum, excretio involuntaria, deglutitio prorſus impedita, & demum reſpiratio ſtertoroſa agonizantis imaginem præbuerunt, adeo ut ipſam mortem intra aliqvot minuta futuram prædicere haud dubitaverim, tertio tamen die contra omnium exſpectationem ſtatus in meliorem vertebatur cum reſtituta deglutitione, reſpiratione naturalem referente, pulſuqve forti, ſangvis ideo bis detractus fuit phlogiſticæ indolis, & mixtura camphora cum moſcho porrecta; qvarto die ſtatus idem obſervabatur, reſpiratio tamen crebrior, qvinto die vera mors morbum finivit. In aperto cranio cadaveris ventriculi nonnullum, baſis verò largiſſimum ſerum continebant, proceſſus clinoidei poſtici ſolitò magis prominebant, pectoris cavitas dextra

lar-

largam aqvæ copiam inclusit, pulmo ejusdem lateris cum pleura coalitus in extremitate inferiore inflammatus, sphacelosus, tuberculis scirrhosis multis stipatus, diaphragmatis pars pulmoni dicto adjacens etiam inflammata apparuit; in altera cavitate pectoris nullum vitium, pericardium autem insigni copia seri repletum, cor sangvine valde turgidum & vasa coronaria qvasi injectione artificiali distenta.

Notabile pectoris vitium defluxui humorum e capite obstans sub corrupta, jamjam solutaqve sangvinis indole celerem & insignem seri apud cerebrum intulisse effusionem, illamqve dein subito exortorum funestorum symptomatum & ipsius mortis fuisse causam vix dubitandum est; non parum verò mirabar duplicatum ut ita dicam, potentiæ hujus letiferum effectum, qvo æger semel fere necatus pro tempore ad vivos redibat, ut novam veramqve pateretur mortem. Ex effusi liqvidi diversa sede primò forsan in ventriculis nobiliores cerebri partes comprimentis, ejusdemqve dein facta transpositione ad basin cranii, ubi diuturnior & largior collectio ante funestum eventum fieri potuit, illud phænomenon declarare haud absonum videtur.

Ju-

JULIUS.

1. Febre biliofo-putrida octodecim laborabant feptem modice evacuantibus fanati, undecim gravius; qvidam ex hoc morbo diu protracto, cum diarrhœa & metheorismo juncto demum convalefcens pergebat tamen alvum laxam habere, pulfumqve celerem, tenfum, fuperveniens etiam dolor fixus abdominis me in fufpicionem inflammationis induxit, qvapropter bis fecta vena & adhibita emulfio camphorata brevi ægrotum fanabant. Alteram in vigore putridi morbi die circiter decimo qvarto corripuit dolor pectoris cum tuffi molefta, fputo fangvineo, pulfuqve duro, phlebotomia tunc bis repetita absqve incremento primitivi morbi pectus levavit, veficatorium dein & ob febrem vefpertinam decoctum corticis peruviani cum radice fenegæ paratum & copiofe ingeftum fanationem complebant. Præfertim verò mihi memorabilis videbatur juvenis 21 annorum integro menfe, anteqvam nofocomium intravit, valetudinarius cum debilitate notabili, vertigine, ftupore, fiti, anorexia, lingva fordida, halitu malo oris, alvo fegni, pulfu celeri, fa-

facie pallida, oculis hebeſcentibus; poſt evacuantia ſolita, exhibui corticem, camphoram, veſicatoria, verum ſtatus permanebat idem, nec melior nec pejor, nauſeante igitur ægroto diuturnam medicinam, ejusdemqve efficaciam ipſe deſperans ſvaſi ſolum rhenanum vinum qvotidie ingerendum, cujus ope appetitus viresqve tam corporis qvam animi ſenſim ad integram ſanitatem redierunt, convaleſcentis qvidem crura nonnullus tumor œdematoſus ſine dubio metaſtaticus occupabat, uſu tincturæ rhei aqvoſæ fugatus. Non modo vini rhenani in hoc ægro laudabilis virtus ad materiam morbi & ipſis naturæ viribus & aliis roborantibus remediis uſu recepti ſuperiorem vincendam, ſeparandam & ad partes externas profligandam, ſed etiam ipſius morbi ob indolem ſymptomatum vere putridi habendi rarus & abnormis progrediendi modus, vel potius perſeverantia diuturna in eodem ſtatu, qvi aliàs in putridis multo citius mutari ſolet, obſervatione digna ſunt. Priores verò duo caſus docent vel confirmant venæſectionem in putridis ſaltem tunc temporis utilem imo ad majus malum avertendum neceſſariam, dum nobili parti periculoſam inflammationem infert metaſtaſis. Duo ex hiſce ægrotis ad introitum jam ſumme debilitati ſervari neqvibant.

2. Febres intermittentes permultæ varii typi, fere omnes cortice opus habentes. Qvidam licet salinis, eccoproticis emetico sat bene ad corticis usum præparatus, illo tamen non juvatus fuit, sed adhuc duplice repetitione emetici ante sufficienti specifici effectum indiguit. Apud puellam qvartana unius & dimidii anni per scabiem, qvam nec unqvam antea passa erat, nec per infectionem contraxerat, solvebatur superstite tamen febris levi vestigio, qvod porrecto cortice, posteaqve largiter erumpente scabie evanuit; qvatuordecim dein elapsis diebus sub continuato corticis usu per inunctionem linimenti mercurialis scabiem aggrediebar, atqve sine reversione febris profligabam. Alter novem mensibus qvartana afflictus cum dolore oppressorio cardiæ, alvo segni, tumore œdematoso notabili faciei, & crurum per decoctum graminis & taraxaci atqve animam rhei solutione tartari tartarisati mixtam brevi tempore cardiam restitutam sentiit, contra febrem verò graviorem redditam propinatus cortex primò sine effectu fuit, dein autem post emesin institutam continuatus non modò febrem, sed qvoqve omnem tumorem hydropicum diuresin augendo fugavit. Aliqvoties mihi contigit similem observare corticis vim & febrem & ex illa natum adjunctumqve hydropem sanandi; qvalem effectum e vasorum robore, hu-

humorumqve ſtagnantium motu reſtituto derivare forſan licet.

3. Scorbuto nonnulli laborabant; qvidam præter ſigna hujus morbi qvoqve dolorem pectoris ſiniſtri fixum qvatuordecim diebus protractum qverebatur cum nonnulla tuſſi; affectionem hanc pectoris decoctum radicis ſenecæ cum oxymelle ſcillitico intra octiduum tollebat; apud alterum ſcorbutus ſubito poſt validum effectum purgantis remedii evolutus obſervabatur.

4. Arthritis ſat memorabilem originem & decurſum narravit æger 57 annorum ob recidivam hujus morbi in noſocomio ſuſceptus; prima vice ante 34 annos mox poſt febrem intermittentem electuario corticis ſanatum illo afflictus erat malo, qvod dein omni qvarto circiter anno redibat; octo autem proxime elapſis annis ſingulis aut verno aut autumnali tempore recruduerat arthritis ad octo circiter hebdomades ſemper protracta, finitaqve per rigiditatem cujusdam juncturæ digitorum manuum, adeo ut jam qvatuor digitos manus ſiniſtræ & duos minimos digitos manus dextræ rigidos invenerim; ultima hæc reverſio ſub uſu ſolutionis gummi gvajaci aqvoſæ ſpatio ſex hebdomadum ſanabatur. Experientiæ aliàs ſatis confirmatæ memoriam mihi renova-

vabat ille caſus ſc. arthritidem arthritidis eſſe ſeminium atqve increſcenti ætati maxime inimicam. Apud alterum artuum dolor jam qvatuor hebdomadum poſt inſtitutam venæſectionem tranſiverat in dolorem dorſi, & abdominis jam octiduo durantem, & qvidem per qvatuor dies cum obſtipatione alvi & vomitu omnium ingeſtorum; venæſectio ſemel inſtituta ſangvinis naturalem indolem demonſtrans, liqvor nervinus bihorio porrectus, ſuppuratio crurum per cantharides excitata & conſervata dolorem abdominis tollebant, alviqve aperturam efficiebant; verum contra alvum deinceps ſegnem redditam exhibitus pulvis e nitro, lacte ſulphuris & camphora ſedes qvidem tres producebat, mox verò abdominis dolorem revocavit cum obſtipatione alvi, repetita tunc ſupra laudata & efficax methodus atqve tribus ſeptimanis continuata diverſam morbo faciem inducebat, ita ut ejusdem ſymptomata mox evanuerint, mox redierint, & qvamvis artuum mox omnium mox inferiorum dolor per intervalla adfuerit, abdominis afflictio tamen permanſerit; demum crampis doloroſis manuum ſimul accuſatis ad ſpasmodicam nervorum paſſionem ſuſpicandum ductus præſcripſi ſolutionem mannato-oleoſam, atqve ſemicupium tepidum, qvibus æger absqve arthritidis reverſione ſanabatur; ſive arthritica, ſive mere nervoſa judicanda ſit hæc

colica, illius curationem balnei ope productam recordari emolumento eſt.

5. In itinere maritimo a China per integrum fere annum valetudine adverſa laboraverat qvinqvagenarius ſc. diarrhœa, tuſſi ſputoqve purulento, lingvam inveni rubram, glabram, ardentem mox ſc. aphtoſam, atqve corpus ſumme emaciatum, & debilitatum; pulvere radicis gei urbani intra qvatuordecim dies ſanabatur diarrhœa, & juſculo dein ſecalino ſolo atqve ad aphtas, qvamdiu opus erat, adhibito melle roſato cum borace veneta, tuſſis indies minuta fuit, appetitus rediit, & elapſo bimeſtri ſpatio æger prorſus ſanatus, & robuſtus noſocomium reliqvit. Reſtrictionem regulæ prognoſticæ phthiſicorum continet hic caſus præſertim forſan applicandam ad ægrotos, qvi ſub prava maritima diæta morbum contraxerunt, qvibusqve aër victusqve ſalubrior præcipuum reſtitutionis medium eſſe ſolet.

6. Dolore hypochondrii dextri qvatuor menſium, cui intumeſcentia abdominis magis magisqve adaucta, non fluctuans, nec non per qvatuor hebdomades tumor œdematoſus extremitatum inferiorum juncta erant, vir 44 annorum ægrotavit; animæ rhei, ſolutionis tartari tartariſati ana pars una, oxymellis ſpvillitici

par-

partes duæ ad cochlearia duo minora bihorio ſumta, nec non infuſum juniperinum & inunctio dolentis lateris per linimentum volatile ſub diureſi notabiliter adaucta intra tres ſeptimanas morbum prorſus ſanabant.

7. Ex refrigerio apud virum 48 annorum ante octo dies oriebatur tumor œdematoſus, dolens totius faciei; poſtridie autem hic ceſſaverat ſub accedente oppreſſione pectoris notabili cum tuſſi ſicca; huic ſymptomati ſponte evanido ſuccedebat tumor, tam abdominis, qvam præſertim ſcroti & extremitatum inferiorum, alvus, appetitus, diureſis naturali modo ſe habebant; cremor tartari, ſpiritus ſalis dulcis cum aceto ſqvillitico, emulſio ammoniacalis, infuſum juniperinum vel ſimul vel ſucceſſive in uſum tracta ne minimum qvidem decrementum morbi produxerunt; præſcripſi demum animam rhei unciam cum olei tartari p. d. drachmis duabus ad guttas ſexaginta initio ter per diem, poſteaqve trihorio ſumendas, qvanam medicina & diureſis & ſudor notabiliter augebantur, intraqve menſis ſpatium æger prorſus reſtitutus fuit. Hoc primum fuit exemplum hydropici, ubi ſcopo diuretico animæ rhei oleum tartari p. d. appoſui, ad qvalem compoſitionem inſtituendam me præſertim duxit antea obſervata vis diuretica animæ rhabarbari, haud

iniqve alcalino menſtruo, qvod ad extrahendam illam tincturam adhibetur, ſaltem pro parte adſcribenda, qvæqve ideo adaucta qvantitate alcali adhuc major ſperari potuit. Plura dein facta experimenta eventum exſpectationi reſpondentem produxerunt. Apprime etiam convenit hic caſus ad hydropis e refrigerio ortum demonſtrandum, dum vix dubitari poteſt, qvin materia perſpirabilis apud noſtrum per frigus ſuppreſſa in facie rheumatismum, inde ad pectus converſa oppreſſionem & demum tranſlata atqve in cellulosa diffuſa hydropem procreaverit.

8. A gravi animi pathemate apud fœminam 32 annorum ſubito oriebatur cephalalgia notabilis; huic poſtridie evanidæ ſuccedebat debilitas paralytica plenaria extremitatum inferiorum, nec non ſtupor extremitatum ſuperiorum, motu tamen illæſo. Qvatuordecim abhinc diebus elapſis ſponte exortus erat ſudor totius corporis, largiſſimus verò capitis, qvatriduo protractus; ſub qvo vires corporis redire ceperunt & per octo circiter dies adeo revaluerunt, ut ægrota in noſocomio ſuſcepta ſat bene ambulare potuerit, jam modò qverens membrorum ſtuporem cum nonnullo ſuſurru aurium; alvus, appetitus, menſtrua ſemper naturali modo ſe habuerant; liqvor nervinus, veſicatorium nuchæ applicitum qve-

tribus ſeptimanis reliqvias morbi fugabant. Nonne ſudor ille paralyſeos criſis æſtimandus eſſet? qvod ſi probabile ſit, qvomodo animi pathema materiem hanc nocivam, perſpiratione dein ſolubilem ad nervos obruendos dirigeret?

9. Vertiginem notabilem, ut credidit æger, a terrore ortam jam tribus ſeptimanis patiebatur vir 23 annorum, cum cephalalgia imprimis nocturna, ſomno turbulento, tremore aliqvali continuo artuum, reliqvæ corporis conditiones erant naturales, ſangvis largiter & vario modo per venæſectionem, arteriotomiam & ſangviſugium temporale mittebatur, emetica, laxantia freqventia, veſicatoria, pediluvia, epithema frigidum capiti, illiqve deraſo linteum ceratum impoſitum, ſetaceum nuchæ nullam morbi mutationem produxerunt; demum ad antiſpasmodica converſo animo præſcripſi pulveris refrigerantis unciam, radicis valerianæ ſylveſtris unciam dimidiam, moſchi orientalis grana qvatuor, unde trihorio cochleare minus ſumebatur, qvoqve per aliqvot dies adhibito ſudor crurum fœtidus, qvem tempore ſanitatis ſolitum eſſe, ſub hoc autem morbo abſentem retulit æger, illo cum effectu revertebatur, ut omnia morbi ſymptomata inſigniter minuerentur, & æger ad patriam ſc. Fioni-

am redire appetens nosocomium reliqverit allati remedii usum continuare pollicitus. Haud absonum videtur, perturbatæ menti adscribere spasmodicam nervorum constrictionem, indeqve sudorem pedum inhibitum, cujus materia ad encephalum & nervos directa læsionem eorundem allatam produxerat. Talis originis morbo antispasmodica remedia præ aliis proficua esse, ut docuit hæc experientia, qvoqve rationi convenit.

SECTIONES.

10. Apoplexiam ante duos annos passa, posteaqve sanata foemina 57 annorum e novo incidit in vertiginem & stuporem capitis cum debilitate notabili, tamen non integra paralysi extremitatum lateris sinistri, susurru aurium, oculis hebescentibus, sero abundantibus; talem statum aliqvot mensibus protractum excepit delirium post tres hebdomades morte finitum. Aperto demortuæ cranio ventriculi laterales serum largum limpidum continebant, ejus autem maxima copia in basi cranii aderat; in abdomine hepar magnum durum, tamen absqve tuberculis; lien & glandulæ mesenterii itidem indurata. Reperta hæc viscerum obstructio arguit universalem serosi liqvidi spissitudinem, cui resorptionem

nem impedienti extravaſatio cerebralis merito imputanda eſt.

11. Dyspnoea inſignis cum tuſſi, ſputo mucoſo, verum absqve dolore circumſcripto pectoris, decubitum horizontalem bene tolerans, diarrhoeam nonnullam ſecum ducens, nec venæſectione; qva ſangvinis bona indoles apparuit, nec alia convenienti medicatione mutanda ſenſim debilitando mortem poſt hæmophtoën pridie prægreſſam induxit. Aperto thorace ambo pulmones ſolito magis rubri inveniebantur, ponderoſi, ſubſtantiam ſub digitis tangentibus granuloſam habentes, atqve ex omnibus fere punctis liqvidum ſpumeſcens rubro-brunnum qvaſi ichoroſum effundentes; in ſingulis cavitatibus etiam paucum ſerum aderat. Inter pulmonum læſiones poſſibiles allata hiſtoria notam facit, ni novam, ſaltem ſat raram & memorabilem, eorundem fere univerſalem obſtructionem in minimis, in defunctis palpapilem potius qvam viſibilem; in vivis gradu dyspnoeæ notabili & abſentia ſignorum alterius cauſæ conjectandam; remediis, qvæ ſolventia erunt, ſaltem præſente, uti apud noſtrum, diarrhoea vix vincibilem, & demum mediante tabe haud adeo diuturna funeſtam.

12. Sub levatione gravis oneris puella 21 annorum corripiebatur ſangvifluxu uterino per ſex menſes non deſinente, illo tunc ſponte ſenſimqve minuto & demum ad normam naturalem reverſo oriri cœpit tumor abdominis, magis magisqve adauctus, jam qvinqve menſibus durans enormis æqvabilis cum fluctuatione obſcura; per qvatuordecim dies tumor crurum œdematoſus junctus erat, trimeſtri qvoqve ſpatio dolor in regione ingvinali dextra continuus adfuerat; reliqvæ functiones naturali modo ſeſe habuerunt; tentatis variis diureticis absqve effectu inſtituta fuit paracentheſis, qva 12 menſuræ aqvæ limpidæ educebantur, ſerum poſtea e vulnere abdominis largiter fluxit cum diureſi bona & decremento tumoris; clauſo autem vulnere ſubito enormis oriebatur abdominis dolor cum vomitu & ſingultu, qvæ venæſectione licet crebro inſtituta poſt ſeptem dies morte terminabantur. Ex aperto abdomine effluxit ſerum largum, ſpiſſum, flavum fœtidum, ovarium dextrum invenimus mutatum in tumorem durum ſteatomatoſum magnitudine capitis infantilis, inteſtina tenuia ſupra umbilicum compulſa cum ſe invicem coalita, pro parte ſphaceloſa, hepar parvum atqve durum. Rupturam vaſis notabilis nimio labore corporis inductam principii hujus morbi ſc. hæmorrhagiæ uterinæ cauſam fuiſſe ſat manifeſtum

eſt;

eſt; modum verò & ordinem, qvo reliqva abdominis vitia poſt ſedatam menorrhagiam exorta ſunt, comprehendere difficilius eſt, num etiam in ovario vas disruptum effudit liqvorem ſenſim adauctum & inſpiſſatum? Num e ſimili cauſa extravaſationem ſeri in cavitate abdominis derivare oportet? aut ſerior hæc fuit effectus intumeſcentis ovarii, cujus volumine compreſſæ venæ abdominales reſorptionis debitæ incapaces redderentur? poſterior ſententia probabilior videtur, partim qvia aſcites haud immediate poſt violentam disruptionis cauſam oriri incepit, ſed poſt elapſos aliqvot menſes, partim, qvia experientia in aliis caſibus monſtroſi ovarii efficaciam in producendo hydrope monſtravit. Inſtitutæ paracenteſi letalem enteritidem mortemqve ægrotæ acceleratam non poſſum non adſcribere; num vero hæc ſeqvela accidentale fuit malum liqvidi effuſi acrimoniæ poſt effluxum tenuioris & diluentis partis adauctæ & magis concentratæ tribuendum? aut magis neceſſarius fuit ille effectus ponderoſi ovarii, qvod in abdomine per ſerum copioſum valde expanſo minorem preſſionis vim contra adjacentia viſcera exſeruit, majorem verò, ſubitaneam, imo enormem poſt ſerum ſubito ablatum contractisqve muſculis abdominalibus? Utraqve cauſa mihi adeo videtur ſuſpecta, ut in caſibus noſtro

ſimilibus paracenteſin ambiguam imo pericu-loſam operationem declarem.

13. Dolor medii abdominis graviſſimus virum 24 annorum, qvi prægreſſis diebus ſe bene habuerat, nullamqve morbi cauſam novit, ſubito poſt noctem qvietam invadebat junctus cum vomitu bilioſo & omnium ingeſtorum, atqve obſtipatione alvi; triduo talis duraverat ſtatus, intereaqve laxante remedio & ſemel venæſectione uſus erat; nunc ſub introitu in noſocomium præter allata pulſum inveni exiliſſimum, qvi poſt aliqvot horas ſub accedente morte fiebat inſenſibilis. In abdomine defuncti ventriculus magnus haud inflammatus, totus inteſtinorum tenuium tractus valde expanſus rubeſcens, inteſtina craſſa admodum contracta absqve ſcybalis, omentum nigro-rubrum coalitum cum veſica fellea, & hæc ipſa colorem atro-rubrum habebat, partimqve obducta erat pure, cujus nonnulla copia in vicinia hepatis extravaſata inveniebatur. Extravaſatio puris juxta ſolitum inflammationis progreſſum intra tres noſtri morbi dies haud generandi mihi indicare videtur abſceſſum præexiſtentem clanculum formatum, cujus effuſum pus vicinam felleam veſicam inflammavit; hujus verò afflictio dolorifica haud ſecus, ac præſente calculo felleo cæteros enormes inteſtinorum motus vomi-

tum.

tumqve citavit; attentionem etiam meretur singularis illa per spasmodicum hunc affectum producta intestinorum constitutio sc. crassorum valida & universalis contractio, tenuium verò & ventriculi enormis expansio, num tanqvam antagonistæ contra sese agunt intestina diversi ordinis? ita ut sub motu peristatico ordinario tenuia, in opposito autem casu crassa prævaleant.

AUGUSTUS.

1. Febris bilio-putrida 21 personas, tredecim modice, octo gravius detinuit. Apud qvendam illius curatio difficilis, sed sat memorabilis erat, adhibitis sc. initio morbi evacuantibus efficacibus, sub progressu tamen accedebat diarrhoea valde debilitans, hac demum per decoctum corticis peruviani & cascarillæ sedata oriebatur salivatio pluribus diebus protracta demum secum ducens tantam sensibilitatem ventriculi, ut nec medicamenta, nec potus, urgente licet siti insigni, retineri potuerint; summa simul præsens debilitas certam efficeret mortem, ni allato symptomati per convenientem ingestionis methodum succurrissem, sperans sc. minutam qvantitatem ventri-

triculo nimis ſenſili tolerabilem fere nil aliud præſcripſi qvam merùm avenæ decoctum ad unicum modò cochleare ſed eo freqventius ſumendum, qva via æger magnam hujus nutrimenti copiam retinendi capax redditus, itaqve ex orci faucibus ereptus fuit. Tribus ægrotis hæc febris mortem intulit.

2. Febres intermittentes nonnullæ; tertiana plus qvam trimeſtris omnigenis antifebrilibus remediis fruſtra tentata demum per abſceſſum ingvinalem largum pus fundentem ſolvebatur.

3. Abdominis dolor graviſſimus, pertinax apud duas fœminas ſpasmodicam ſuam indolem intermittendo prodidit, & præſertim mixtura e ſale mirabili glauberi in aqva menthæ ſoluto, admixtaqve anima rhei, qva alvus per aliqvot dies exonerata erat, ſanabatur; talis enim colicæ ſat freqvens cauſa eſt primarum viarum ſaburra. In duobus aliis ſimilis morbi maximus gradus me anxium reddebat

4. Vir nimirum 41 annorum brevi poſt arthritidem curatam elapſo tempore ob grave refrigerium incidebat in dolorem conſtantem regionis ſupraumbilicalis, octiduo jam durantem cum alvo ſegni, nunc qvatuor diebus

clauſa, retentione flatuum, vomituritione, pulſuqve duro; ſeptem ſeqventibus diebus ſangvis naturalis indolis ſepties mittebatur, camphorata præterea & poſt emiſſos nonnullos flatus lac ſulphuris cum nitro, clysmata, veſicatoria ſuris & ſinapismi in brachiis in uſum ſed absqve juvamine trahebantur; qvinimo morbus increvit cum vomitu, ſingultu & plenaria inſomnia; die 16to ſolus moſchus ad granum ſacharo mixtum omni hora dabatur, unde poſt elapſum biduum vomitus & ſingultus ceſſabant, ſomnus redibat, flatusqve mittebantur cum levamine doloris notabili, alvo vero nondum aperta dedi ſolutionem mannæ calabrinæ cum anima rhei mixtam per cochlearia porrectam cum optato effectu; inſeqventi qvidem ſc. vigeſimo morbi die renovari videbantur dolor & obſtipatio, repetitus autem moſchus alternatim cum mixtura mannata minitantem morbum mox iterum compeſcebant, ita ut modo aliqvalis oppreſſio moleſtá cardiæ ſupereſſet, epithemate ex herbis aromaticis vino imbutis juvata; convaleſcens dein mixturam camphoratam cum liqvore anodyno cautionis ergo ad integram reſtitutionem continuavit, interea tamen odontolgiam vix injuſto arthriticam cenſendam paſſus. Qvamvis ob morbum prægreſſum, ſangvinis miſſi naturalem conditionem, magnumqve morbi gradum tamdiu protractum, & ab inflammatoria

toria origine ſine letali eventu vix poſſibilem indoles hujus colicæ arthritica ſat probabilis videretur, attamen prudens medicus qvippe haud omnino de abſentia inflammationis perſvaſus, antiphlogiſticam methodum inire debet.

5. Apud alterum 23 annorum poſt cereviſiam frigidam, caleſcente corpore ingeſtam exortus dolor abdominis conſtanter jam qvatuor diebus duraverat cum vomitu freqventi, obſtipata alvo, pulſu tamen haud febrili; qvater jam vena erat ſecta absqve levamine; poſt tres inſeqventes dies, qvibus ſangvis naturalis qvidem indolis adhuc ſexies educebatur, & mixtura camphorata ſumebatur, alvus ſponte fluxit remanente tamen vomitu cum dolore abdominis, qvi applicito veſicatorio ibidem tranſivit in dolorem ſcapulæ ſiniſtræ; hujus autem loco confeſtim inſignis recruduit abdominis dolor cum vomitu & obſtipata alvo, hinc iterum ſangvine hac vice phlogiſtico qvater emiſſo, continuata camphora & veſicatoriis ad ſuras applicitis alvus aperiebatur, & dolor abdominis poſt plures tamen recurſus mox ad ſpinæ dorſi varias regiones, mox iterum ad ventrem, demum omnino ceſſabat, verum convaleſcentiæ hujus paucis diebus elapſis ſc. 27mo die ab invaſione primi morbi ægrotum noſtrum adhuc valde

de-

debilem corripuit vera putrida febris, ob qvam inſtituta per emeſin & catharſin evacuatione virium oriebatur ſumma dejectio cum obnubilato viſu, in ſitu corporis erecto prorſus deficiente, atqve animi deliqvio; hinc imperato continuo horizontali ſitu nec non decocto corticis peruviani & vino rhenano freqventer ingeſtis vis vitæ adeo ſuſtentata & corroborata fuit, ut decimo qvarto die criſis per aphtas & ſalivationem largam dein ſextiduo protractam abſoluta fuerit, poſthæc demum reverſus ſomnus & appetitus ſummam noſtri infirmitatem in lætam ſanitatem commutabant. Nonne effectus abdominalis in hoc ægroto rheumaticus cenſendus eſt? Vix aliud credere permittit ejusdem cum artuum dolore alternatio. Subſecuta in noſtro caſu putrida febris fauſteqve devicta, qvamvis vires ægroti multiplice phlebotomia ſumme exhauſtæ eſſent, me judice haud inepte docet, venæſectionem in putridis haud, qvatenus ſangvinis copiam minuendo debilitat, adeo eſſe noxiam, verum alio modo, vix probabiliori, qvam reſorptionem materiæ morbificæ præſertim in primis viis hoſpitantis ad ſangvinis maſſam promovendo.

6. Arthritis vaga ſat diuturna demum ſe fixit in genu ſiniſtro, ſibiqve junctum habuit tumorem enormem æqvabilem veſicæ

flui-

fluido repletæ ſimilem; præ variis hujus ergo tentatis antarthriticis, nec non veſicatorio ipſi tumori applicito manifeſtum juvamen attulit ſuppuratio in ſuræ externa parte infra affectum genu per cantharides diu continuata.

7. Conſolidato apud virum 49 annorum ſpirituoſis valde deditum inveterato ulcere cruris, freqventer recurrebat vertigo qvandoqve caduca, & adhuc crebrius ſingularis ſpasmus ſc. involuntaria maxillarum conſtrictio cum torſione capitis ad latus alterutrum intra minutum ceſſans; evacuantia imprimis alvina, veſicatoria, nervina; fonticuli intactum relinqvebant morbum, qvi demum recrudeſcente ulcere inveterato vincebatur. Ulcera factitia naturalium vices haud ſupplere præter alias etiam hæc confirmat experientia.

8. Sub levatione gravis ponderis vir 38 annorum dolorem qvaſi ab inſtrumento ſcindente brevi durantem in regione perinæi ſentiebat; poſt qvatuordecim dies ejusdem loci dolor redibat jam diu protractus, qvieſcente corpore ſilens, ſub omni motu autem & dejectione alvi ſeſe exſerens, adeo ut æger nec ambulare, nec alios ſolitos labores perficere potuerit; diureſis erat naturalis & in affecto loco nulla mutatio præternaturalis nec dolor a preſſione. Poſt venam ſectam, laxans porrec-

rectum & inunctionem perinæi per oleum hyoſcyami 14 diebus adhibitam dolor adeo miteſcebat, ut æger ambulare valeret; ſurrexit autem tumor ſat notabilis in regione iliaca dextra ſub ſitu erecto & motu corporis proveniens, alias recedens; huic poſt aliqvot dies ſponte evanido ſucceſſit expanſio moleſta totius abdominis cum dolore funiculi ſpermatici & teſticuli dextri absqve externa mutatione; venæſectio bis repetita & mixtura camphorata dolorem abdominalem fugabant, & hirudines perinæo applicitæ etiam illius affectionem prorſus tollebant; expanſio autem abdominis ſuperſtes eccoproticis pro parte ceſſabat, ita ut tantum ſub motu corporis qvaſi ab interna cauſa extrorſum urgente redierit, preſſione tamen coërcenda; ideo ſvaſi cingulum totum abdomen circumdans, cujus ope ad labores perficiendos ſine incommodo aptus reddebatur æger. Licet haud inutilem, ſed ad ſimiles caſus applicandam praxin contineat hæc hiſtoria; illam tamen imprimis mentione dignam habui ob ſingularia ejusdem ſymptomata, eorumqve vix explicabilem nexum; num læſionem qvandam meſenterii, relaxationem, diſtractionem, aliamve, ob qvam inteſtina haud debito gradu ad dorſum affixa prolabi & expandi poterant, cogitare licet?

9. Hydropem anaſarcam vir 35 annorum, ſudans corpus aqva frigida lavando & indufium recens induendo, mox orientem ſenſimqve jam per tres hebdomadas adauctum ſibi contraxerat; cremor tartari cum infuſo juniperino tumorem hydropicum, urinæ fluxum promovendo, tollebat, reſtitit vero expanſio abdominalis non fluctuans, qvam relaxationi ex abundante ſero adſcripſi, & per decoctum amarum laxans abegi; refrigerium tanqvam manifeſta hydropis cauſa hoc caſu declaratur.

10. Simili morbo jam qvatuor hebdomadum cum adjuncto tumore notabili abdominis absqve diſtincta fluctuatione afflictus erat puer octo annorum, nuperqve præterea correptus alvi fluxu freqventiſſimo, qvandoqve cum, qvandoqve absqve ſangvine; porrecto pulveris radicis gei urbani cochleari minori omni bihorio diarrhœa & tumor ſenſim minui & ſpatio 14 dierum prorſus evanuiſſe videbantur, verum mox, alvo manente naturali, recruduit tumor hydropicus imo ad priſtinum gradum, hinc tincturæ rhei aqvoſæ uncia cum olei tartari p. d. drachmis duabus ad gt. 40 ter indies porrigebatur, vi cujus diureſis adaucta morbum funditus ſuſtulit. Cur ſanatio hydropis in hoc ægroto per catharſin ſpontaneam adeo erat inconſtans, per diureſin verò completa? Dum prorſus in-

dif-

differens videtur, qvanam via ſerum abundans eductum erat; nonne cauſam hydropis, forſan obſtructionem hepatis, alvi fluxu intactam, ſimul debellaverit diureticum remedium?

11. Apud alterum 22 annorum anaſarca trium hebdomadum cum levi tuſſi laborantem, adhibito per aliqvot dies cremore tartari cum infuſo juniperino, indeqve per urinæ fluxum copioſum diminuto tumore, oriebatur paroxysmus apoplecticus, poſt ſe relinqvens cephalalgiam cum debilitate brachii ſiniſtri; hiſce per venæſectionem, hirudines temporales, laxans, & veſicatorium nuchæ abactis, repetebantur allata diuretica cum optato effectu; tumore autem fere omni fugato aggrediebatur tuſſis moleſta ſicca ſenſim gravior, nunc timens ſerum ad pectus converſum veſicatoria ſuris cum diuturna ſuppuratione applicari curavi, intusqve decoctum radicis ſenecæ oxymelle ſcillitico mixtum præbui, verum pectoris ſtatus, imo pejor, manebat, & licet nullus ejusdem dolor ſentiretur, tamen ob exſpirati aëris calorem notabilem pulſumqve durum venam bis ſecui, qvamvis absqve levamine, expectoratio demum provenit parca qvandoqve ſangvine tincta, alias cum fruſtis denſis, albis qvaſi muco condenſato; verum in reliqvis idem diu perſiſtebat mor-

bus, & tumor hydropicus ſimul augebatur; nec ſeneca, nec kermes minerale, nec emulſio ammoniacalis ſucceſſive in uſum tracta ſtatum ægri mutabant, demum exhibita mixtura ex aqvæ meliſſæ unciis ſex, aceti ſcillitici, ſpiritus ſalis dulcis ana drachmis duabus, ſyrupi altheæ ſesqvi uncia ad cochlearia duo bihorio mox tuſſin levabat & octidui ſpatio ſimul cum omni tumore fugabat. An ſymptomata noſtrum ægrotum ſub decremento hydropis aggreſſa, primò capitis, dein pectoris, ſero reſorpto, & ad illas partes converſo adſcribi debeant? Saltem encephali afflicti vix alia cauſa cogitari poteſt; thoracis verò morbus forſan per ſe exiſtebat, pro cauſa habens obſtructionem tuberculoſam, cujus reſolutio allata ſymptomata produxit.

SECTIONES:

12. Poſt evanidum tumorem œdematoſum crurum fœmina 35 annorum jam ſex diebus laboraverat inſigni & conſtanti dolore abdominis, atqve dorſi, cum vomitu omnium ingeſtorum, ſingultu, ſapore malo, cephalalgia, alvo tamen naturali, qvæ ſymptomata octavo morbi die per mortem finiebantur. Aperto defunctæ abdomine omentum profunde in cavitate pelvis cum peritoneo coalitum, tamen abſqve veſtigio inflammationis, in-

inteſtinum cœcum & colon aëre valde expanſa, non inflammata, hepar diaphragmati ubiqve annexum, ejusqve intermedia tunica qvăſi cocta, ipſa autem ſubſtantia debito magis rubicundior, ventriculus ipſe naturaliter conſtitutus. Sine dubio inflammatio tunicæ, ſuperficiem convexam hepatis tegentis, ſuo modo in gangrænam finita morbum hunc, mortemqve creavit.

13. Status apoplecticus poſt cephalalgiam, ut nobis referebatur, octo dierum virum 36 annorum aggreſſus cum hemiplegia lateris ſiniſtri, tremore verò artuum alterius lateris, ſtupore inſigni & fere ignorantia ſui ipſius, ſingultu, excretione involuntaria, nec non epilepſia freqventer reverſa, qvinto die poſt ſuſceptionem ægroti in noſocomio funeſtus reddebatur. Diſſecto capite vaſa meningum ſangvine valde turgida reperiebantur, nec non abſceſſus magnus largam copiam puris ſubviridis fœtidi, ſangvine tincti continens in lobo poſteriore hemiſphærii cerebri dextri, alius minor abſceſſus etiam aderat in lobo anteriore hemiſphærii ſiniſtri; ventriculus lateralis ſiniſter ſerum ſat largum includebat. Suppreſſio facultatum mentalium a valida hac encephalum comprimente cauſa per ſe intelligitur, verum etiam affectiò diverſa laterum ſc. hemiplegia ſiniſtri & tremor dextri e differenti

abſceſſuum volumine declarari poteſt; major nempe dexter abſceſſus nervorum lateris ſiniſtri vim prorſus reſolvente, minor autem ſiniſter abſceſſus leviorem debilitatis gradum ſc. tremorem in latere oppoſito produxerat.

SEPTEMBER.

1. Febre bilioſo-putrida No. 28; undecim ſolis evacuantibus ſanati, reliqvi gravius & diutius decumbebant, plurimi notabili ſangvinis congeſtione afflicti cito & manifeſte ſangviſugio temporali & epithemate frigido capitis juvabantur. Qvidam ſymptomatibus putridis magni gradus; nec non dolore faucium & deglutitione adeo impedita laborans, ut emeticum porrigi neqviverit, ope hirudinum circa laryngem applicitarum fauces ita pervias recepit, ut dein conveniens & ſufficiens medicina porrigi potuerit. Apud alterum octiduo ægrotantem ſimile ſymptoma nec non ſumma ad caput congeſtio, & delirium per hirudines temporales adeo levabantur, ut dein emeſis ſalutaris impune inſtitui poſſet; morbus deinceps ſeſe monſtravit ſub typo tertianæ malignæ, ita ut alternis diebus ſola, ſed enormis debilitas, aliis autem paroxyſmi

apo-

apoplexiæ ſimiles adfuerint; poſt alteram emeſin ob lingvam ſordidiſſimam repetitam cortex largiter porrectus mox inſeqventem paroxysmum notabiliter diminuit, & cæteros prævertit; unica moriebatur, ubi morbus jam ante introitum tantus, & eo usqve protractus erat, ut exhibitum emeticum intento effectui haud reſponderet, qvapropter materies morbi funeſtam metaſtaſin ad pectus & abdomen effecit.

2. Febris morbilloſa ob levitatem ſymptomatum vix morbi nomine digna, ſola diæta antiphlogiſtica, & calore lecti ſanabilis paucos ad noſocomium adduxit.

3. Pectoris morbus freqvens, apud duos protractus cum ſputo purulento oleo asphalti juvabatur.

4. Dolor regionis iliacæ dextræ fixus apud fœminam 23 annorum mox poſt partum ortus, jam menſe durans & triduo ultimo tumorem œdematoſum extremitatis inferioris dextræ ſibi junctum habens per venæſectionem ter inſtitutam, & uſum mixturæ camphoratæ intra qvatuordecim dies ſimul cum allato tumore ſublatus fuit. Nonne hæc inflammatio lenta ovarii cenſenda eſt, etiam ſeræ

per antiphlogiſticam methodum ſanationis capax.

5. Vomitu omnis cibi ſolidi, haud verò fluidorum, elapſa circiter hora poſt ingeſtionem, puella 16 annorum jam integro fere anno laboraverat cum expanſione regionis ſupraumbilicalis ſat notabili, preſſioni cedente, alvus qvodammodo erat naturalis, nec vermes unqvam evacuati, haud aliam rationem morbi indicare potuit, qvam malam diætam, pauperpatis ergo ante morbum actam, victumqve pro maxima parte ex halecibus ſalſis, poſteaqve aqva frigida largiter ingeſta. Mox abſtinentiam ab omni cibo ſolido & nutrimentum tenue e juſculo carneo, decocto avenæ, lacte præſcripſi, qvo per octo dies adhibito, intereaqve ſilente vomitu anima rhei ad guttas 60 ter indies exhibebatur, atqve cibus ſolidior adaucta doſi in uſum trahebatur; taliqve methodo ventriculus ad ingeſta retinenda aſſvetus fuit.

6. Alter fere triennio vomitu poſt paſtum initio freqventer, tandemqve ſemper reverſo cum alvo ſegni & eructatione qvandoqve acida laborans, variisqve remediis tam roborantibus, qvam reſolventibus & eccoproticis incaſſum uſus erat; ſimili ac in prægreſſo caſu victus ratione per tres hebdomades obſer-

ſervata nec non magneſia alba, mane & veſperi adhibita, ingeſti retentio & egeſtio naturaliter peragebantur; ægroto tunc qvam maxime eſurienti cibos permiſi ſolidos, haud poſtea per vomitum rejectos. Topicum in allatis exemplis ſtomachi morbum, qvem ejusdem contractili vi debilitatæ adſcripſi, haud iniqve nec improſpere juvandum eſſe credidi, dum fibrarum elementis a ſe invicem dimotis apta per jejunium præbita fuit occaſio ſeſe attrahendi, itaqve, reſtituto contactu debito, priſtinum acqvirendi robur.

7. Præter dolorem omnium fere juncturarum apud virum mediæ ætatis jam qvatuor menſes durantem, etiam ſingularem tumorem mollem immobilem utriusqve olecrani præſertim ſiniſtri, ubi allatus tumor ſimul rubeſcebat & a rotatione brachii dolebat, nec non tumorem crurum œdematoſum maculatum arthritide ſerius ortum, gingivas tumidas, exoſtoſin in tibia ſiniſtra, & demum ſupra claviculam dextram tumorem pugni circiter magnitudinis, durum, cuti affixum, preſſioni non recedentem, attactuqve dolentem inveni; antiſcorbutica ſc. elixirium anthartriticum & acetum ſqvilliticum ad partes æqvales, infuſum trifolii fibrini & ſuccus citri intus porrecta atqve cataplasma ſaturninum tumori colli impoſitum menſis ſpatio deſcripta ſympto-

tomata fugabant. Nonne complicatæ causæ arthritidi sc. cum superveniente & adjuncto scorbuto adscribenda sunt peregrina nostri casus phœnomena a neutro morborum solo derivanda?

8. Hæmorrhagia uteri apud fœminam 35 annorum a mœrore diuturno contracta jam dimidio anno duraverat, haud qvidem continua sed debito largior & protractior, ita ut modo paucis intermitteret diebus, qvibus tunc loco sangvinis albus liqvor copiosus fluxerat. Corpus erat valde debilitatum, emaciatum cum pallido faciei colore, lumbago continua vexabat, qvatuordecim diebus proximis supervenerant dyspnœa, tussis sicca, anorexia cum alvo segni, pulsum inveni celerem, debilem. Pulvere radicis gei urbani bihorio exhibito, atqve infuso aqvoso e floribus trifolii albi, & fluxus uterqve præternaturalis, & reliqva ab illo dependentia symptomata sanabantur.

9. Dolorem ischii dextri valde gravem octiduo durantem juvenis 22 annorum per inunctionem spiritus vini camphorati fugabat, qvo facto tota extremitas dextra qvoad motum, superstite sensu, prorsus paralytica reddebatur. Demum post plures menses extus adhibita vesicatoria cum diuturna suppuratione,

ne, cucurbitæ ſiccæ, balneatio, frictio, urticatio, electriſatio intusqve convenientia antarthritica eo usqve ægrum reſtituebant, ut ſponte ambulare attamen cum aliqvali claudicatione potuerit. Infortunatus hic caſus periculoſum allati ſpiritus uſum topicum in arthritide declarat.

10. Poſt ſpasmodicum dolorem abdominis bimeſtrem fœmina 63 annorum ſubito incidebat in apoplexiam cum pulſu admodum lento; inſultu hoc per evacuationes largas ſangvinis & alvi devicto, ſuperſtes obſervabatur ſingulare imaginationis vitium, ſub qvo ægrota calumnias varias ſibi inflictas audire credidit; dum caput ejusdem ſimul valde calidum animadverti, epithema frigidum illi applicitum intusqve acetum vini porrectum fuit; aliqvot poſthæc elapſis diebus locum illius hallucinationis ſubibat obauditio ſat brevi tempore ſponte evanida. Haud immerito & imaginationis error & illum inſecuta ſurditas nervis ipſis auditoriis primò ſpaſtice affectis dein relaxatis adſcribuntur.

11. Efflorescentia brachii, pectoris & dorſi ſiniſtri lateris apud virum 52 annorum decem diebus aderat, initio puſtuloſa, jam verò a nobis obſervata ulceroſa cum moleſtiſſimo ardore, pulſus vix celer & alvus na-

tu-

turalis erant; exhibitis primo octiduo camphoratis & laxantibus interpolatis, indeqve ulcusculis passim siccatis improviso surrexit dolor gravissimus ardens circa extremitatem sinistri radii inferiorem absqve externa mutatione, extensus ad loca exulcerata pectoris, secum ducens levem lipothymiæ insultum, & intra aliqvot minuta sponte cessans, triduo continuo eadem hora sc. sexta vespertina reversum illud malum me ad corticem peruvianum, ut contra intermittentes ordinarias exhibendum commovit, proximus hinc paroxysmus solito tempore, sed minori gradu recurrebat, verum loco & tempore qvinti accessus provenit largus sudor qvoad periodicum illud symptoma omnino criticus; ulcuscula tamen & furunculi pauci in dorso & pectore persistebant summe dolentia, meritò & præsertim ob allatos paroxysmos topica exsiccantia & retropellentia timens, oppositam pro acerrimo irritamento extrahendo viam inivi; ideoqve primo per cucurbitas cruentas affectis locis impositas liqvor sat largus serosus maleolens educebatur cum insigni levamine, redeuntibus autem adhuc paucis dolentissimis furunculis, ungventum basiliconis pulvere cantharidum mixtum, & dein solum applicui, vi cujus suppuratio initio largiter promota, paulatimqve postea minuta, ægrotum a singulari hoc, atqve molestissimo cutaneo morbo, ad

septem

ſeptem hebdomades protracto liberavit absqve læſione reliqvæ ſanitatis. Mirum ſane & notatu dignum judico periodicum noſtri ægroti morbum, qvatenus originem habuit adeo inſolitam ſc. materiem ichoroſam nervos certo gradu & modo aggreſſam, nec minorem admirationem laudemqve meretur corticis eadem virtus contra intermittentes affectus cujusvis indolis, & e qvalicumqve cauſa exortos etiam hoc exemplo commonſtrata.

12. Dolorem cardiæ continuum aliqvali duritie & tumore, alvo ſegni, vomitu intercurrente, dyspnœa imprimis poſt ingeſtos cibos, & ſub incurvato corpore, nec non emaciatione ſat notabili integro circiter anno patiebatur vir 26 annorum. Adhibitis ideo fere absqve levamine anima rhei cum ſolutione tartari tartariſati, atqve pilulis ſaponaceis, ſimul in uſum vocabam ungventum neapolitanum omni veſpera cardiæ inungendum, unde ſuſcitata & per tres hebdomades continuata ſalivatio optatam reſolutionem effecit.

13. Arthritidi trimeſtri apud fœminam 48 annorum demum fixæ in juncturis utriusqve manus, & pedis dextri cum articulorum notabili tumore, & rigiditate oppoſui ſolutionem gummi gvajaci aqvoſam ad cochleare majus trihorio ſumtum, qva per menſem

ad-

adhibita, intereaqve alvo qvotidie modice laxata, articulorum affectus minui incipiebat, vel potius transire in tumorem dolentem & rubentem faciei, qvi iterum post aliqvot dies cessabat sub exorto fluxu admodum largo seroso narium, per mensem fere integrum durante illo cum effectu, ut simul arthriticus morbus evanuerit. Indubitatam hanc & singularem arthritidis crisin, solventi virtuti adhibiti remedii merito tribuendam, haud antea observare mihi contigit.

SECTIONES.

14. Tumor hydropicus apud fœminam 26 annorum spatio decem hebdomadum sese exseruerat, primo extremitates inferiores sensimqve totum corpus occupans, sex proximis septimanis maculæ lividæ petechiis minores in toto corpore præsertim pectore constanter præsto erant; octiduo junctus fuit mictus cruentus absqve stranguria & lumbagine; toto morbi tempore alvus & appetitus naturali modo se habuerant, die ipso introitus supervenientia qverebatur cardialgiam molestam, intercurrentem vomitum, frigus, tremorem, cephalalgiam; pulsum inveni valde debilem, & graviditatem jam triginta circiter hebdomadum adesse retulit ægrota; decoctum corticis peruviani mox in usum præscribebatur;

ve-


verum paucis elapſis horis dolores ad partum aggreſſi fuere cum vomitu freqventi viridi, fluxu ſangvinis copioſo per vaginam, & motibus convulſivis vehementiſſimis, ſub qvibus ægra ſubito exſpiravit. Aperto defunctæ cranio intra duram matrem inveniebatur larga copia ſangvinis extravaſati condenſati, & hemiſphærio cerebri ſiniſtro agglutinati, qvod coagulum continuum erat cum ſimili extravaſato ventriculum ſiniſtrum replente, ejusdemqve figuram habente, ſubſtantia ipſa cerebri per hanc maſſam duobus in locis perforata erat; in ventriculo dextro paucum, in baſi cranii largum ſerum; in pectore præter ſerum nonnullum omnia ſana, in abdomine larga copia aqvæ rubellæ, viſcera ipſa illæſa; uterus ſangvine multo nigro repletus, fœtus ipſe extra cavitatem uteri propulſus in pelvi & vagina dilatata continebatur. In aliis morbi maculoſo - hæmorrhagici exemplis maculæ & fluxus pari tempore proveniunt & os qvidem atqve nares præſertim ſangvinem fundunt; noſter caſus, licet hac ratione abſimilis, & novus tamen ob eandem ſymptomatum indolem ejusdem eſſentiæ & ſpeciei, ac reliqvi morbi maculoſo - hæmorrhagici cenſendus, ideoqve illis convenienti antea in his actis deſcripta cura tractandus eſt. Eventus apud hanc ægrotam adeo cito funeſtus conatibus ad partum indeqve productæ vaſorum rupturæ no-

tabili merito adſcribendus, nos monet periculum talis morbi e validiore corporis motu timendum.

15. Depreſſo animo diu afflictus juvenis Norvega 20 annorum ſubito qverebatur cephalalgiam inſignem cum debilitate virium notabili, anorexia, lingva ſordida, pulſuqve exili, qvibus cito jungebantur maculæ petechiales, ſingultus, delirium; adhibitis licet bina vice ſangviſugio temporali, alias evacuantibus primarum viarum, moſcho, camphora, veſicatoriis, diem tamen morbi ſeptimum finivit apoplexia letalis. Aperto demortui cranio vaſa cerebri ſangvine turgida inveniebantur, in ventriculis nullum ſerum, in baſi vero illius uncia circiter aderat; ſub diſſectione autem ſubſtantiæ medullaris tam cerebri qvam cerebelli puncta rubra, qvorum in ſtatu naturali pauca adeſſe ſolent, numeroſiſſima apparebant ſub levi preſſione ſubſtantiæ corticalis verum ſangvinem guttatim effundentia. Huic plenitudini vaſorum ſangviferorum ſubſtantiam cerebri medullam pervagantium delirium & apoplexiam ægroti noſtri adſcribere mihi veroſimile videtur.

16. Tumor cardiæ & hypochondrii dextri notabilis durus, dolens, diuturnus, haud ab ægro 34 annorum definiendi temporis junc-

junctus demum cum vomitu omnium ingestorum, & ſingultu moleſto placidam induxit mortem; aperto demortui abdomine hepar reperiebatur enormis magnitudinis infra umbilicum ſeſe extendens, liqvido flavo, puriformi obductum, qvo abſterſo color apparuit ſolito rubicundior; ſuperficies utriusqve lobi convexa qvædam loca præ reliqva ſubſtantia habuit prominentia & mollia; hiſce inciſis largiſſima copia puris flaveſcentis denſi effluebat, digitisqve dein intromiſſis totum fere hepar in pus reſolutum & excavatum reperiebatur, extima ſubſtantia modo ad craſſitiem aliqvot linearum ſuperſtite; reliqva inteſtina & viſcera præter ſitum e volumine hepatis mutatum naturalia erant.



OCTOBER.

1. Febris bilioſo-putrida perſonas 39, tredecim modice, viginti ſex gravius afflictas detinuit, impuritates primarum viarum ſolito magis abundabant, crebriore ideo evacuatione opus habentes; repetitionis hujus indicia mihi fuerunt ſigna cruditatum poſt emeſin ſemel inſtitutam permanentia; in plurimis alvus modice laxa obſervabatur, verum indifferenter

qvoad morbi eventum. Metastasis & particularis morbi directio ad certas, tamen varias corporis partes freqventer occurrebat. Juvenis 16 annorum post emesin bis ob cruditatum abundantiam institutam largissima afficiebatur narium hæmorrhagia; toto capite nihilominus tumente, rubente, & ardente, adhuc hirudinum temporalium usus reqvirebatur, diarrhœa simul adfuit, utrumqve hunc fluxum compescuit & prævertit mixtura acida e spiritu vitrioli confecta. Apud alterum juniorem similis symptomatum complexus gradu tamen minori eadem medicina tollebatur. Qvinqve metastasin ad pectus patientes per sputum salutare evadebant. Apud puellam decimo qvarto morbi die observabatur tumor genæ sinistræ sensim adauctus, dein glandulas submaxillares occupans, largam salivationem secum ducens, & demum in abscessum sub mento notabilem finitus. Alter jamjam ad aspectum convalescens decimo qvarto morbi die subito corripiebatur dolore constanti abdominis cum alvo laxa, pulsu celeri tenso, lingva autem & sapore naturalibus; cum nullam externam causam hujus supervenientis mali detegere potuerim, & præsentem epidemiæ nostræ indolem recordans, metastasin ad intestina factam credidi, ideoqve loco evacuantium, qvæ in hoc casu ob irritationem vix non perniciosissima essent, methodum

elegi

elegi antiphlogiſticam, involventem & derivantem; venæſectio ſepties inſtituta, freqvens inunctio abdominis notabiliter expanſi per linimentum volatile, veſicatoria juxta ſuras, emulſio camphorata alternatim cum decocto albo, decoctum avenæ loco alterius ingeſti, & poſt mitigatum dolorem, flatusqve emiſſos injecta clysmata oleoſa octiduo protractum morbum feliciter vincebant. Alteri decimo ſeptimo die convaleſcenti ſupervenit tumor durus dolens notabilis magnitudinis in crure ſiniſtro, applicito ibidem cataplasmate emolliente, & per qvatuor dies continuato, e novo animadverti inſurgentia ſymptomata prægreſſæ febris ſc. nonnullum delirium, ſtuporem, debilitatem & alvum involuntario fluentem; originem febris recidivæ perpendens, tumorem metaſtaticum disqviſivi, ejusqve volumen ad dimidium minutum inveni, mox ideo cataplasma emolliens abſtuli & illius loco veſicatoria ſuris & ſinapismos plantis pedum admovi, his factis allata ſymptomata manifeſto decreſcebant, & demum ceſſabant ſub ſpontanea, & diuturna ſuppuratione crurum maxime ſiniſtri, ubi adfuerat metaſtaticus tumor, cujusqve ſuperſtes veſtigium, etiam ſponte durante prædicta ſuppuratione disparuit.. Notabili ſane hoc caſu addiſco, emollientia topica partibus metaſtaſi affectis ſcopo perfectioris attractionis & maturationis appli-

cita oppoſitum effectum producere poſſe, attenuando nimirum materiam depoſitam, ejusqve reſorptionem promovendo, qvapropter utentes hoc auxilio ad ejusdem effectum eò attentiores eſſe debent. Etiam hac hiſtoria patet, materiam metaſtaticam, in maſſam ſangvinis reductam, retinere eandem vim febrem faciendi, ac ante depoſitionem. Octo ægrotos noſtra febris mediante metaſtaſi e vivis ſuſtulit ſc. fœminam ob utriusqve parotidis intumeſcentiam ſæpius letalem; alterum, cui die vigeſimo primo morbi ſupervenit tumor enormis lividus unius femoris & genu, cito converſus in abſceſſum gangrenoſum cum effluxu peſſimæ ichoroſæ materiæ; tres ob depoſitionem ad encephalum nullis remediis prævertendam aut domandam; duos per metaſtaſin ad inteſtina cum diarrhœa colliqvativa, & ultimum qvidem, cujus hiſtoria memorabilis mihi videbatur. Sub progreſſu illius morbi tuſſis moleſta cum raucedine acceſſit, hanc ad metaſtaſin tendere ſuſpicatus porrexi mihi in caſu ſolitum & ſæpius utile decoctum chinæ cum ſenega; poſt duos dies ſymptomata pectoris evanuerunt ſuccedente diarrhœa initio absqve dolore, dein cum illo magis magisqve adaucto, qvæ ſub uſu electuarii antidyſenterici e cortice & rheo parati jungebatur cum expanſione notabili abdominis, cardialgia enormi, ſubſultu tendinum, deglu-

glutioneqve impedita, qvæ intra qvatuor dies morte placida finiebantur. Aperto cadaveris abdomine, omnia inteſtina inveniebantur inflammata, & totum ileum nigrum ſphaceloſum pure paſſim obductum, in infima parte abdominis largum pus tenue brunnum aderat; pectoris utraqve cavitas etiam nonnullum ſerum includebat. Corruptionis hujus inteſtinorum notabilis, atqve ſuppurationis tam cito peractæ vix alia cauſa, qvam metaſtaſis cogitari poteſt. Caſus hic præceſſit alterum ſupra allatum ſimili metaſtaſi ſtipatum, ſed fauſte ſanatum, priorisqve infortunium ad aliam utiliorem & experientia dein probatam methodum eligendam me commovebat, in univerſum hiſtoria hujus epidemiæ docet: 1) Differentem putridæ febris genium, vi cujus uno præ alio tempore ad metaſtaſin formandam inclinat; haud mihi abſonum videtur, illam diverſitatem derivare a varia viſciditate materiæ morbificæ, minus ideo, magisve ad colatoria permeanda idoneæ, qvali ſententiæ convenit etiam circa hanc epidemiam notata tenacitas impuritatum inteſtinalium, qvibus tanqvam fonti inſeqvens ipſius ſangvinis corruptela merito adſcribitur, illarumqve ideo indolem retinet. 2) Epidemias putridas adeo ad metaſtaſin pronas præ aliis eſſe periculoſas, mortuorum enim numerus in præſenti alias ſolitum longe ſuperabat

& in omnibus a deſtructione per metaſtaſin inducta originem trahebat. 3) Plurimas, ſi non omnes, corporis partes, ut apud noſtros, caput, pectus, abdomen & artus, metaſtaſi eſſe ſubjectas, maxime autem pulmones, qvod aliæ experientiæ haud ſecus ac memorata conteſtantur, qvosqve præ cæteris internis viſceribus ad materiam metaſtaticam impune excipiendam & evacuandam diſpoſitos eſſe ſimul compertum eſt. 4) Epidemias tales, ut ita dicam, metaſtaticas ob ſingularem naturam & grave periculum appropriata qvoqve procuratione medicorum opus habere; principiis obſtare, primas vias tempeſtive & ſufficienter imprimis per emeſin etiam repetitam evacuando, potiſſima ſine dubio prævertendi mali regula ſit; ſi nihilominus vel illa cautione neglecta, vehementia morbi damnoſum eventum præſagiat, per citum veſicantium uſum ad artus vim morbi dirigere conandum eſt; etiam me judice confert, partes ipſas metaſtaſi maxime nocendas reſpicere, illisqve qvantum potis eſt, cavere, capiti ſc. per epithemata frigida, & inteſtinis fugiendo ſub vigore morbi remedia alvum moventia & ſolis, dum opus eſt, clysmatibus blandis evacuationem promovendo.

2. Febres morbilloſæ nonnullæ adhuc benigniſſimæ.

3.

3. Arthritico dolore brachii ſiniſtri afflicta puella 25 annorum demum incidebat in convulſiones, qvæ extremitates lateris ſiniſtri freqventer & irregulariter, qvandoqve cum, qvandoqve absqve conſcientia ſui ipſius agitabant; poſt harum acceſſum dolor brachii fere evanidus tranſiverat in debilitatem, qvoad motum paralyticam; tentatis variis moſcho, valeriana, oleo animali dippelii absqve optato effectu fonticulus demum brachio affecto applicitus fuit, intusqve exhibita ſolutio gummi gvajaci aqvoſa ad cochleare majus trihorio, unde alvus qvotidie & modice laxabatur, & ægrota ſenſim melior, poſt ſpatium ſex hebdomadum a convulſionibus & arthritide liberata, noſocomio valedicebat. Caſus hic pro exemplo convulſionis arthriticæ, qvæ ſc. ab arthritica materia originem traxerat, haud iniqve afferri poteſt, ſvadente doloris arthritici tranſitu in allatum ſpasmum; forſan materia morboſa, qvamdiu nervorum ramos occupabat, dolorifica, profundius penetrando ipſumqve nerveum truncum occupando, paralyſin & convulſionem inferre valuit; illam ſententiam qvoqve corroborat arthritici remedii ſc. gummi gvajaci effectus noſtræ adeo proficuus & in aliorum ſimilium emolumentum notatu dignus.

4. Diarrhœa jam octo mensium apud virum 24 annorum post potum multum aqvosum & fructum, Pisang dictum, copiose loco alterius nutrimenti per plures dies in Gvinea ingestum exorta erat, primo trimestri spatio sangvinea, postea mere aqvosa, variisqve remediis in insulis americanis incassum tractata; huic binis proximis mensibus junctus erat tumor asciticus notabilis cum manifesta fluctuatione, eodem tempore genu sinistrum dolore & rigiditate laboraverat; per paucos dies crura qvodammodo tumuerunt; corpus ægroti valde emaciatum inveni. Mox in usum præscripsi pulverem radicis gei urbani ad cochleare minus bihorio, & infusum theiforme e radice altheæ & semine lini ad partes anaticas, & genu cannabi picea involvebatur; post aliqvot dies medicinæ hujus salutaris effectus sub decrescente diarrhœa & adaucta diuresi sese monstrans intra mensem sanitatem completam reproduxit. Curationem hanc, qvalem antea nunqvam observavi, minime ex allatis exspectabam remediis, ad sedandam diarrhœam modò porrectis, qvo facto, hydropem, qvem superfuturum esse credidi, per appropriata diuretica aggredi cogitabam. Nonne inopinatus, faustusqve ille eventus singularem hydropis speciem per laudata roborantia sanabilem prodit, atqve docet? Utpote post alvi fluxum exortus, illoqve sedato sanatus

natus fuit noſter hydrops, eundem pro effectu diarrhoeæ ſtatuere ſat probabile eſt, qvomodo autem ille nexus declarabitur? Num calor inteſtinalis, ſub laxitate alvi diminutus, vaporum exhalantium condenſationi, impeditæ reſorptioni; ideoqve præternaturali collectioni anſam dedit? & nonne inhibitus per roborantia ille fluxus, calorqve ita reſtitutus effectum contrarium ad humoris hydropici ſolutionem & abſorptionem exſeruit?

5. Alteram diarrhoeam trimeſtrem in viro 24 annorum mox cum, mox absqve dolore abdominis, qvandoqve cum dejectione ſangvinea poſt incaſſum tentata varia remedia, imprimis ipecacuannham, rheum & geum urbanum demum ſanavit ſeqvens per qvatuordecim dies adhibitum decoctum ſc. corticis peruviani, ſimarubæ, caſcarillæ ana drachmæ duæ coctæ cum aqvæ ſimplicis unciis duodecim ad remanentiam unciarum octo, qvibus poſt colaturam refrigeratis addebantur mucilaginis gummi arabici unciæ duæ, olei olivarum albi uncia, unde bihorio cochlearia duo ſumebantur.

SECTIONES:

6. Scabie per ungventum a mercurio præcipitato rubro paratum exſiccata vir 26

annorum mox ſentiit dyspnœam, jam tribus ſeptimanis durantem ſat notabilem cum raucedine, tuſſi ſicca, moleſta, tumore œdematoſo unius cruris, & reliqvo corpore emaciato; qvæcunqve ad ſcabien revocandam adhibita remedia fruſtranea erant, verum allata ſymptomata increverunt, tuſſis demum reddebatur humida cum ſputo partim ſangvineo, partim purulento, intercurrenteqve vomitu, his tumores hæmorrhoidales valde dolentes etiam jungebantur, extremitates inferiores magis magisqve intumuerunt, inqvietudo & anxietas erant notabiles ægrotum ad ſitum erectum cogentes, qvibus miſeriis ad ſummum gradum provectis advenit optata mors. In aperto cadaveris abdomine inveniebantur ſerum nonnullum ſpiſſum flaveſcens, omnia inteſtina tam tenuia qvam craſſa admodum contracta, imprimis colon transverſum, tenuia præterea paſſim inflammata, hepar ſolitò durius, imprimis illius lobus dexter, vaſa meſorecti ſolitò magis turgida & conſpicua, atqve ipſius hujus inteſtini tunicæ rubræ; pectoris cavitas ſiniſtra ſerum largum ſpiſſum flaveſcens continebat, pulmo ipſe inflammatus erat; pulmo dexter coſtis ubiqve per filamenta membranacea firmiter annexus, ejusqve ſubſtantia multis & magnis tuberculis ſcirrhoſis erat conferta; pericardium reperiebatur ſero flaveſcenti viſcido impletum, ejusqve in-

terna

terna superficies inflammata, cor ipsius magnum & inflammatum, imprimis ventriculus dexter. Similitudo liqvoris in cavitatibus cadaveris reperti cum materia in pustulis scabiosis contenta fere extra dubium ponit hanc ipsam fuisse, qvæ post retrogressum topico mercuriali effectum apud partes internas deposita inveniebatur, qvæqve vi acrimoniæ & spissitudinis reliqvas detectas viscerum læsiones, tam obstructionem, qvam inflammationem non poterat non procreare; indurationi autem hepatis sine dubio ex eadem causa ortæ plenitudinem vasorum hæmorrhoidalium, eorumqve tumores molestos adscribere fas est.

7. Dolore cardiæ, & medii pectoris constanti admodum gravi, ad dorsum extenso, ab ingestis insigniter increscenti cum respiratione difficillima, decubitu horizontali impossibili jam novem diebus laboraverat puella, 13 annorum, ob summos cruciatus & inqvietudinem difficulter allata morbi symptomata indicare valens; de causa ejusdem nihil nobis cognitum reddebatur, pulsum inveni celerem, tensum, alvumqve rite apertam; qvinqve adhuc diebus in nosocomio vixit hæc misera cum indesinente lamentatione inqvietudine & dyspnœa ad letalem demum gradum adaucta. Aperto defuncti abdomine

totum

totum hepar solito magis rubrum, & durum inveniebatur, qvoad superficiem convexam crusta tenui muçosa obductum, & mediante illa diaphragmati agglutinatum, incisa ejusdem substantia largum sangvinem fluidum fundebat; glandulæ mesenterii erant induratæ; in thorace cellulæ mediastini anterioris serum spissum multum continebant, ambo pulmones intermediis crassis, numerosis filamentis membranaceis tam firmiter ad costas açcreti, ut sine substantiæ dilaceratione separatio non fieri posset, in posteriore parte utriusqve cavitatis serum largum sangvineum continebatur, pulmones ipsi erant obscure rubri; pericardium in tota circumferentia cordi erat continuum, & tam arcte annexum, ut nullibi absqve læsione cordis separari potuerit, membranæ hujus involucri etiam solitò crassiores erant. Haud mirum est, enormem hanc ipsorum vitalium viscerum læsionem maximos, qvos nostra patiebatur, cruciatus intulisse; imprimis autem anxietatis insignis gradus, & in præsenti & in prægresso ægroto observatus, cordi ipsi, apud utrumqve afflicto, imputandus est, ideoqve in posterum sub concursu similium symptomatum pro signo vix incerto talis causæ mihi inserviet.

8. Hypochóndrium dextrum apud virum 29 annorum post dolorem diuturni ab ægro-

ægroto haud ſatis definiendi temporis demum intumuit, magis magisqve cum protruſione coſtarum notabili, dyspnœa, tuſſi, ſputo purulento, decubitu intolerabili in latere ſiniſtro, conſumtione phthiſica & laxitate alvi, qvæ die qvinto poſt ſuſceptionem in noſocomio per mortem terminabantur. Aperto demortui ventre mox effluxit nonnullum ſerum flaveſcens, hepar conſpiciebatur magnum, adeoqve depreſſum, ut margo anterior lobi dextri ipſam criſtam oſſis ilei attigerit, cujus ſitus cauſa pro parte erat notabilis diaphragmatis deſcenſus, unde etiam ſuperficies hepatis ſuperior a convexa in concavam fere erat mutata; externa hepatis facies erat obſcure rubra & dura; inter ſpinam vertebrarum & poſticum hepatis marginem enormis aderat copia materiæ tenuis brunnæ, purulentæ, cujus fons inveniebatur tam hepatis lobus major in poſtica parte ſuppuratus, qvam ren dexter pro ſuprema parte eodem modo læſus; præterea in interiore ſubſtantia hepatis varii parvi abſceſſus, nec non tumores ſteatomatoſi continebantur, ob allatum enorme hepatis volumen ventriculi ſitus fere prorſus perpendicularis obſervabatur, & omnia inteſtina profunde verſus pelvim locata; in cavitate pectoris dextra enormis aderat copia ſeri ſpiſſi, brunni, & loco pulmonis corpuſculum oblongum adeo compreſſum, ut illius diameter

modo

modo craſſitiem trium circiter linearum habuerit, extus tunica alba obductum, intus nigrum compactum; pulmo ſiniſter ob compreſſionem ex contento oppoſiti lateris etiam naturali minor; cor ipſum parvum. Tanqvam primitivus, ad reliqva reperta vitia procreanda & declaranda aptus merito habeatur morbus hepatis, cujus inſolita magnitudo in abdomine ſitum viſcerum neceſſario perverterat, in pectore autem vaſa comprimendo humorum produxerat extravaſationem, cujus copiæ ſenſim adauctæ notabilem coarctationem pulmonum adſcibere oportet.

NOVEMBER.

1. Febrisglioſo-putrida ſolitò rarior undecim perſonas levius & octo graviori afflixit gradu, duo moriebantur ſub delirio & inſigni ſangvinis congeſtione ad caput.

Febre morbilloſa non pauci mediæ ætatis laborabant. Apud omnes pectoris oppreſſio adeo levis erat ut nulla venæſectio opus fuerit, ſed eruptione facta & bene procedente ſponte evanuerit, ſeptimo die in genere morbus absqve omni ſeqvela finitus erat, interea diæ-

diæta antiphlogiſtica calor lecti, & qvandoqve mixtura camphorata omne medicationis punctum tulerunt.

2. Aſthma periodicum ſtudioſum Iſlandum 34 annorum, adverſa fortuna diu preſſum, jam integro anno afflixerat, qvinqve ſeptimanis exacerbatum, per unum alterumve diem intermittens, qvandoqve conſtrictionem moleſtam faucium ſecum ducens; aliàs nullibi dolor fixus aderat, nulla tuſſis nec febris; præmiſſo emetico, kermis mineralis granum bihorio porrigebatur, unde poſt qvatuordecim dies aſthma prorſus evanuit, conſtrictio faucium tamen ſuperſtes uſu liqvoris antiſpaſtici tollebatur; jam oppreſſorius cardiæ dolor, ructus acidi, alvi ſegnities accuſabantur, qvæ per aliqvod tempus roborantibus, eccoproticis, magneſia alba, absqve perdurabili juvamine debellata mihi ſuſpicionem impeditæ circulationis in hepate dederunt, eapropter propinatæ pilulæ e ſaponis venetæ drachmis tribus, extracti chamomillæ ſesqvidrachma, & aloës gummoſi drachma ad grana qvindecim ter indies ſumta morbum prorſus exſtirpabant. Tam abdominalia ſymptomata qvam juvantia remedia me judice ſat certa obſtructi hepatis indicia erant; ex eodem fonte, conteſtantibus aliis ſimilibus exemplis, affectum aſthmaticum ſaltem pro

pro parte derivare licet; qvamvis enim hæc caufa per fe haud fufficiat, qvod afthmatis fanatio pergente adhuc hepatis morbo probat, attamen juncta cum certa nervorum fenfibilitate talem effectum procreare valeret, a læfo enim hepate ad læfionem diaphragmatis ob nexum horum vifcerum fat probabilis eft conclufio; verum enimverò qvanam ratione kermes minerale afthmaticum morbum, perfiftente licet illius præcipua caufa, tollere potuit? Vix alio modo hanc virtutem exferuit, qvam nervis ipfis fingularem ftatum ad actum fpasmodicum minus difpofitum inducendo.

3. Dolori artuum fuperiorum apud virum 42 annorum fponte evanido fuccefferat dolor abdominis totius jam octiduo protractus cum alvo per tres dies claufa, appetitu enormi, fingultu intercurrente, pulfuqve haud febrili; fangvine naturalis indolis per venæfectionem bis educto, ingefta mixtura camphorata, & poft minutum dolorem evacuatione alvi per clysma promota, fymptomata allata intra qvatuor dies ceffabant fub exorta ftranguria molefta, qvæ urinam initio naturalem, dein verè purulentam, atqve nonnullum dolorem regionis hypogaftricæ fecum duxit, verum absqve lumbagine; nunc in ufum trahebatur mixtura ex effentiæ

ticæ

corticis peruviani uncia, tincturæ antiſcorbuticæ drachmis duabus compoſita ad guttas ſexaginta ter per diem porrectas, urina autem eadem per 20 dies manente, & ſimul alvo ſegni obſervata, præter allatam medicinam dedi pilulas e pulvere radicis rhei & therebinthinæ venetæ ſ. qv. paratas a granis qvindecim ad triginta mane & veſperi ſumtas, brevi poſtea diureſis minus dolorifica reddebatur, & elapſis qvatuordecim diebus qvoad emiſſionem & contentum prorſus naturalis, atqve talis per tres hebdomades, qvibus æger in noſocomio præcautionis ergo moratus fuit, permanebat. Nonne arthritica indoles hujus morbi curationem poſſibilem reddidit? Qvod probabile videtur ob allatam ejusdem primam originem, & qvia vera veſicæ ſuppuratio ex inflammatione dependens ſanationis vix capax eſt.

4. Hydrops apud virum 45 annorum qvartanæ ſponte evanidæ ſucceſſit jam qvatuordecim diebus durans, totumqve corpus occupans cum tuſſi ſicca atqve dyspnœa, initio cremor tartari cum infuſo juniperino in uſum trahebatur, verum juvamine, non obſervato ſed dyspnœa ad ſummum gradum increſcente citiſſimamqve reqvirente opem emulſio ammoniacalis in auxilium vocabatur, primo omni

hora, poſtea bihorio ad cochlearia duo majora, vi cujus periculum brevi ceſſavit morbiqve plenaria ſanatio intra tres hebdomades abſoluta fuit. Alterum 56 annorum e platea ad noſocomium ductum cum inſigni dyspnœa, tuſſi ſicca, ſomnolentia notabili atqve tumore hydropico totius corporis eadem medicina fluxum alvi modice, urinæ verò præſertim augendo intra aliqvot hebdomades prorſus reſtituebat. Licet egregia hujus medicaminis antihydropica virtus in gravi caſu aliis præferenda ſæpe memorata ſit, repetitam tamen pro illa experientiam certitudinis ergo notare confert.

5. Gaſtrodynia, ſplenalgia, vomitus intercurrens, cephalalgia freqvens & tumor vagus artuum puellam 21 annorum nunqvam menſtruatam menſis ſpatio affligebant; præſcripſi infuſum theiforme e baccis juniperi contuſis, ad unciam dimidiam, foliorum ſennæ ſ. ſ. drachmis duabus ſeminis feniculi drachma, nec non pilulas ex aſſa fœtida ad grana decem mane & veſpera, poſt duos dies elapſos menſtrua ſat copioſa provenerunt & omnia prægreſſa ſymptomata prorſus evanuerunt. Num optatus eventus fuerit medicaminum effectus, dubium qvidem eſt, utpote etiam ipſis naturæ moliminibus tunc tempo-

ris

ris perfectis adſcribi poteſt, attamen illa, qvam conceperam. idea diuretica cum catharticis ſcopo emmenagogo combinandi primo hoc tentamine potius roborata qvam fracta fuit.

6. Apud alteram integro anno menſtrua emanſerant, ſemeſtri ſpatio intumeſcentia abdominis obſervata fuit ſenſim major non dolens, æqvabilis, nec ſonans, nec fluctuans; binis menſibus junctus erat dolor hepatis presſorius, ſub motu increſcens cum flavedine cutis, dyspnœa, ſiti, tumore crurum; anima rhei & pilulis ad hydropicos per aliqvot hebdomades adhibitis ſymptomata obſtructi hepatis ceſſabant, verum expanſio abdominis eodem gradu permanebat, nec decocto amaro laxanti dein porrecto, nec pilulis ex aſſa fœtida mutabilis; demum tincturam martis mynſichti ad partes duas, ſpiritus ſalis dulcis partem unam, unde guttæ 60 ter indies ſumebantur, eo cum effectu porrexi, ut tumor ille ſenſim & poſt qvatuordecim dies prorſus evanuerit, verum absqve reſtituto menſtruorum fluxu. Ex juvante hoc medicamento, cujus efficacia roborans præſertim ob deficientem aliorum virtutem notabilis eſt, probabiliter concluditur, juvatum morbum fuiſſe inſignem relaxationem tubi inteſtinalis.

7. Dolores vagi partim artuum imo pectoris & abdominis apud virum 34 annorum post herpetem inveteratum ungvento qvodam consolidatum exorti & jam trimestri spatio durantes, primó vesicatoriis diu suppurantibus, cucurbitis siccis, laxantibus frustra debellati, deinceps autem usu balnei tepidi universalis absqve reversione herpetis fugati erant.

SECTIONES.

8. Dolore inconstanti pectoris, dyspnoea, tussi cum sputo mucoso bimestri spatio protractis sat debilitatus & emaciatus vir 33 annorum subito corripiebatur dolore ischii sinistri, gravissimo, qvi initio alternans cum dolore urenti pectoris medii, dein fixior vesicatorio suræ sinistræ debellabatur, hinc ischiade mox fugata, pectoris affectio tantum restitit cum vomitu, convulsione, tremore artuum & demum delirio, qvæ sexto die post dolorem ischii sublatum morte terminabantur. Aperto thorace superficies pulmonum pallido-rubra ubiqve multis stigmatibus, qvoad formam & magnitudinem variolis mox disruptis simillimis, obsessa, substantia ipsa utriusqve pulmonis itidem tuberculis parvis

scir-

ſcirrhoſis conferta, pericardium ſero multo plenum cum corde exiguo, in abdomine omnia naturalia; materiam ichoroſam e pulmonum ulcuſculis reſorptam primò iſchium, dein nervoſum ſyſtema aggreſſam fuiſſe, vix dubitari poteſt.

9. Febris putridæ ſymptomata apud fœminam 38 annorum decimo qvarto die ceſſabant ſub exorto dolore pectoris, ſcapulæ & brachii dextri; poſt veſicatorii ibidem appliciti effectum loco doloris mox evaneſcentis oriebatur febris typi qvotidiani, poſt cujus paroxyſmos tres ſat regulares dabatur cortex peruvianus, inſeqventi nychtemero febris triplex recurſus levis, poſtea autem nullus obſervabatur; biduo verò præterlapſo dolor iterum pectoris dextri acutus ſentiebatur absqve celeritate pulſus; e vena nihilominus, qvantum vires permittebant, ter educto ſangvine phlogiſtico, aliisqve remediis convenientibus applicitis pectoris tamen affectio permanebat oppreſſoria cum tuſſi ſicca, decubitu intolerabili in utroqve latere, virium decremento & dyspnœa, qvæ die decimo nono poſt ultimum doloris pectoris acceſſum ad gradum letalem perveniebat. Aperti thoracis cavitas dextra pure tenui flavo-virideſcenti, odoris valde fœtidi, prorſus erat impleta, ita ut ne

minimum qvidem veſtigium pulmonis dextri inveniri potuerit; hepar admodum profunde in abdomine depreſſum, ejusqve lobus major ſuperficiem ſuperiorem loco convexæ concavam habuit, qvi ſitus ſat manifeſte ab extravaſato pectoris diaphragma deorſum urgente productus erat. Læſio hæc pectoris notabilis ortum duxit a materia metaſtatica, qvæ teſtante recurſu doloris ſine dubio inflammationem pulmonis reduplicatam & mediante hac adeo totalem ſuppurationem procreavit, periodica, ſub hoc actu aggreſſa febris merito, uti in ſimilibus caſibus antea notavi, reſorpto puri tribuenda eſt, illam verò haud poſtea rediiſſe, córticis ſpecificæ virtuti contra nervorum mobilitatem debetur. Præſertim autem notanda & hoc caſu commonſtrata veritas eſt integra reſolutio & ſuppuratio alterutrius pulmonis; qvis enim tantam deſtructionem viſceris numeroſiſſimis & maximis vaſis compoſiti absqve cito funeſta hæmorrhagia crederet poſſibilem? Qvis non mirabitur ſingulare ſuppurationis opus, vi cujus vaſa majora, qvorum ſolutio letalis fluxus periculum habere videtur, ſucceſſiva & haud comprehendenda ratione adeo mutantur, ut absqve effuſione contenti ſangvinis in maſſam puris homogeneam converti qveant.

10.

10. Puerperalis febris ſymptomatibus, ut referebatur, qvarto poſt partum die aggreſſis cum lochiis rite fluentibus laborans fœmina 33 annorum ſexto morbi die e noſocomio puerperarum ad nos ducebatur; abdomen ægræ haud expanſum, ſed dolens, pulſum valde celerem debilem & deglutitionem impeditam inveni, ſub qvibus aliqvot horis poſt introitum elapſis moriebatur. Aperti abdominis omentum erat ſphaceloſum, ad finem inteſtini jejuni conſpiciebatur volvulus ita ſc. ut ſuperior pars tubi inteſtinalis ad longitudinem digiti medii in inferiorem partem introducta eſſet, intus ſuſcepta pars conditionis naturalis erat, pars autem inteſtini infra volvulum in variis locis inflammata; uterus nondum erat debito contractus in utraqve ſuperficie largo pure obductus, qvo abſterſo colori ejusdem rubicundior obſervabatur, in cavo autem ipſo ſangvis ater effuſus.

11. Aſcites apud virum 59 annorum poſt febrem qvotidianam ortus per diuretica fruſtra debellatus fuit & dein per paracentheſin, qva menſuræ ſex aqvæ aurantii coloris educebantur, poſtea tumor recruduit cum freqventi & demum conſtanti abdominis dolore & alvi laxitate, viribus ſimul conſumtis magis magisqve, bimeſtris morbus morte finitus

 erat,

erat. Poſt effluxum ex aperto abdomine extravaſati liqvidi omentum conſpiciebatur ſphacelofum, inteſtinum jejunum paſſim inflammatum, alibi ſphacelo correptum, hepatis tota maſſa debito durior, in pectore nonnullum ſerum, pulmones ſani. Merito mali ominis habeatur ſaturatus color liqvidi per paracenteſin educti, ex ejusdem enim acredine atqve pronitate ad putreſcentiam funeſta viſcerum inflammatio, qvalem allatum extiſpicium monſtravit, facile producenda, ideoqve timenda eſt.

12. Dolor totius abdminis conſtans cum expanſione moleſta & alvo clauſa apud fœminam 49 annorum biduo aderat, ortus poſt motus febriles irregulares & diarrhœam dolorificam ſex dierum, in regione hypogaſtrica præterea percipi potuit tumor durus ovalis, pulſum inveni celerem debilem; duobus in noſocomio peractis diebus ſub ſignis gangrænæ manifeſtis, dolore ſublato, vomitu, ſingultu, ſudore frigido advenit mors. Aperto abdomine effluxit largum ſerum valde fœtidum, & dein in conſpectum venit corpus peregrinum in medio hypogaſtrio poſitum, caput infantile ſuperans, variis prominentiis obſeſſum & muco qvodam ad omentum & inteſtina laxe agglutinatum, qvod ab hac connexio-

nexione ſolutum reperiebatur eſſe ovarium dextrum qvoad ſubſtantiam ſchirroſum; excreſcentiæ in ſuperficie ejusdem variæ erant magnitudinis & indolis, qvædam pugni magnitudine mollis liveſcens, intus ſangvine repleta, aliæ minores ſerum gelatinoſum vel hydatides includentes, aliæ prorſus duræ ſcirrhoſæ, liqvor mucoſus albeſcens peritonei ſuperficiem internam obducebat, nec non inteſtina ipſa, qvæ aëre valde repleta alias ſana inveniebantur. Nonne excreſcentiæ illæ pro ovulis ipſis ab impeditum circulum ſenſim adeo degeneratis habendæ ſunt? Nonne diverſitatem contenti partim a vaſis disrupti & liqvoris effuſi differentia, partim a reſorptionis vario gradu derivare licet? Qvoddam horum tuberculorum ſine dubio illud molle liveſcens ſphaceloſa corruptione mortis cauſa fuiſſe videtur.

DECEMBER.

1. Febris bilioſo-putrida 35 perſonas, earumqve qvindecim leviori, viginti graviori gradu afflixit; in univerſum ejusdem indoles

ſervabatur benigna poſt evacuationes bene & largiter peractas modo debilitatem camphora cortice, veſicatoriis facile devictam ſecum ducens absqve pronitate ad metaſtaſin, aut congeſtiones particulares, cujus abſentia benignitatem epidemiæ putridæ me judice præſertim conſtituit. Complicatio mentione non indigna aderat apud ſutorem 32 annorum, qvem ob phthiſeos metum in noſocomio candidatus haud ſuſcipere auſus erat, ipſe ideo illum viſitans inveni valde emaciatum, tuſſi plurium annorum afflictum nec non raucedine nuperius juncta, exactius autem inqvirendo mihi innotuit, ſymptomata febris putridæ qvoqve per qvatuordecim proximos dies præſto eſſe, qvorum indolem dubiam ex relatione ipſius ægroti vix eruendam manifeſtius declaravit obſervata obauditio ſat pathognomonicum putridæ febris ſignum; admiſſo ideo ægroto propinabatur kermes minerale alternatim cum decocto corticis, verum ob vomitum inde citatum, imo etiam ſepoſita illa medicina continuantem, levaminis potius qvam curationis ſpe dedi julapium ſalinum ſ. potum antemeticum Riverii extra effervefcentiam ad uncias octo cum ſyrupi altheæ uncia ad cochlearia duo majora omni bihorio; vomitus hinc cito ſedabatur, & tuſſis tolerabilior fiebat, juſculo ſecalino deinceps ſimul in uſum tracto

ſen-

ſenſim priſtinam valetudinem recepit æger. Alteram jam per plures hebdomades ægrotantem in ſummo morbi gradu atqve periculo inveni cum pulſu vix ſenſibili, inſigni expanſione abdominis, obauditione, alvo involuntaria, tuſſi atqve raucedine, qvæ ſimul maxima paupertate & defectu omnium preſſa absqve dubio periiſſet, ni in noſocomio ſuſcepta curaqve convenienti tractata fauſte evaſiſſet, qvod exemplum ſimulac plura ſimilia ſanationem putridæ febris vix unqvam prorſus deſperandam declarat, qvodqve medicum, bonam conſcientiam appetentem, vix ullum hoc morbo afflictum rejicere & deſerere opporteat. Tres hac epidemia moriebantur cum pectoris affectione gravi, ſputumqve licet ſolutum deglutientes, qvod mali ominis ſignum communiter comperi.

Febres inflammatoriæ haud raræ fauſte ſanatæ tam pectoris qvam abdominis; apud duos inflammatorius dolor tractum funiculi ſpermatici occupabat, nec non alterutrum teſticulorum, ſolita antiphlogiſtica medicatione non difficulter fugatus; in duobus aliis, ubi inflammatio inteſtinalis pertinax & vehemens multiplicem venæſectionem deſideraverat nec non exactam abſtinentiam a nutrimentis minimo ſtimulo præditis, oriebatur agrypnia in-

plenaria tamdiuprotracta,ut deliratio inciperet; inanitioni hoc ſymptoma adſcribens juſculum e ſago cum vino paratum ſenſim ingerendum conceſſi, & mox ſubſeqvente optato effectu ſc. ſomno bono, qvo delirium fugabatur, gaviſus fui. Abſentia mentis e pervigilio haud infreqventer obſervata eſt; nec difficulter intelligitur, deficere functiones, dum ad illas perficiendas reqviſitæ vires ſomno reparandæ deficiunt; rationem verò, qva exinanitio ſomnum fugat, declarare neſcio.

2. Febris morbilloſa undecim perſonas afflixit, gravior qvam in prægreſſis menſibus, apud omnes tamen ſanata, qvendam enormis angebat pectoris oppreſſio etiam loqvendi vim ſupprimens, venæſectio qvinqvies repetita gravitatem & periculum hujus ſymptomatis abegit, & morbilli dein die qvinto copioſe proruperunt. In univerſum exanthema morbilloſum vere criticum obſervabam, ſub qvo proveniente & per regimen modice calidum conſervato reliqvæ moleſtiæ mox levabantur & ceſſabant.

3. Qvartanam qvatuor menſium variis remediis & cortice peruviano ordinario fru-

ſtra

ſtra tentatam ſanabant pulveres febrifugi de Freſcarode, qvorum qvatuor duobus diebus primis apyretis; & duo inſeqventi biduo porrigebantur; febris mox prorſus evanuit, nec minimum illius veſtigium rediit. Alterius ſimilis febris, ſed ultra annum protracta eadem medicatione perfectiſſime tollebatur.

4. Tuſſi convulſiva, qvæ in urbe ipſa ſat freqvens erat, tantum tres juvenes in noſocomio laborabant, post exhibita emetica moſchi uſum, verum absqve effectu feci; illi ideo ſubſtituta fuit mixtura ex extracti cicutæ drachmis duabus ſolutis in aqvæ meliſſæ unciis ſex, ſyrupi altheæ uncia ad cochleare majus ter qvaterve indies, qva medicina intra paucos dies tuſſis inſigniter minuta fuit, verum inſeqventi tempore, continuato licet & adaucto illo medicamine, tuſſis tamen ad priſtinum fere gradum recrudeſcebat, e novo ideo repetitus moſchus deſideratam præſtitit opem. Apud cunctos tres eadem horum medicaminum actio obſervata fuit.

5. Coutuſione gravi in regione cardiæ, qvam puella 23 annorum ante triennium patiebatur, ortus erat dolor ibidem fixus demum

mum poſt dimidium annum ſolutus per vomitum ſat diuturnum materiæ partim purulentæ partim ſangvineæ. Poſtea per duas hyemes adfuerat cardialgia cum vomitu freqventi ingeſtorum, qvæ autem mala tempore æſtivo ſiluerant; jam demum tertiæ hyemis duobus menſibus idem reverſus erat morbus ſc. cardiæ dolor conſtans jejuno ventriculo tolerabilis, poſt ingeſta autem ſive cibum ſive potum increſcens cum adjuncto vomitu; cardiæ regionem inveni parum tumidam, duram & attactu dolentem; pulſus erat non febrilis, alvus communiter ſegnis jam triduo clauſa, menſtrua regularia. Anima rhei cum ſolutione tartari tartariſati ad guttas 60 ter indies, ungventum neapolitanum omni veſpera cardiæ inunctum, decoctum radicum graminis & taraxaci, & clysma initio curationis freqventer injectum menſis ſpatio ægrotam ſanabant; qvod notabile cenſui, & cujus ergo hanc hiſtoriam præſertim memoravi, erat ſingularis illa reverſio hyemalis, nonne per primam læſionem ſine dubio hepatis, ejusdemqve inflammationem, & partialem ſuppurationem inducta fuerat certa anguſtatio vaſorum, qvæ ſub conſtringente vi frigoris circulationem impedire, itaqve allata ſymptomata inferre valuiſſet.

SEC-

SECTIO.

6. Alvi fluxu trigenarius per qvinqve menſes ladorabat, initio dyſenterico, dein mutabili cum vel absqve dolore, minoris majorisve gradus; qvandoqve ſangvis vel excrementis mixtus vel merus, qvandoqve nullus effluxit, ſemper dolor notabilis ſpinæ vertebrarum etiam poſt venæſectionem ſæpius repetitam accuſabatur, ultimo bimeſtri ſpatio abdomem magis magisqve intumuit demum cum manifeſta fluctuatione, ob qvam inſtituta paracenteſis octodecim menſuras ſeri viridis eduxit, conſumtio tandem virium plenaria placidam mortem induxit. Aperto defuncti abdomine haud exigua ſeri aurantii copia effluxit, omentum maxima ex parte erat conſumtum, ejusqve ſuperſtes pars lividi coloris; totum meſenterium & meſocolon eundem colorem habebat; inteſtina qvodammodo ſana, attamen S romanum & inteſtinum rectum ſolita magis conſtricta & rubra erant; hepar modo dimidiam partem ſoliti voluminis continebat, alias durum & tuberculoſum, lien autem debito compactior molem naturali duplo majorem habebat, ita ut hepar & lien æqvalis magnitudinis eſſe viderentur; pancreas parvum & induratum. Dolor ad trac-

tum

tum ſpinæ dorſi, morbo noſtro ab initio adjunctus, ſine dubio fuit effectus læſionis meſenterii per ſectionem cadaveris detectæ; ob hanc verò, ut & indurationem hepatis notabilem neceſſario impediretur ſangvinis, & humorum inteſtinalium circulatio, atqve recurſus per venas abdominales, unde diarrhoea inſanabilis, dejectio ſangvinea, ſeri extravaſatio & collectio, atqve atrophia facile declarari poſſunt.